LILIOM
FRANCI

AMPULA
UNCTIO
ON

Chiffler



John Newling.

Chiffler
Heraldry

H B

Edw.d A Dayman

Oct.r 25th 1859.

DE AMPVLLA REMENSI NOVA ET ACCVRATA DISQVISITIO,

Ad dirimendam litem de Prærogatiua Ordinis inter Reges.

ACCESSIT


PARERGON DE VNCTIONE REGVM,

CONTRA

IACOBVM ALEXANDRVM TENNEVRIVM, fucatæ veritatis alterum Vindicem.

AVCTORE

IOANNE IACOBO CHIFLETIO, Equite, ac Regio Archiatrorum Comite.



ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA BALTHASARIS MORETI.

M. DC. LI.

PRÆFATIO,

In quâ ſpecimen & occaſio huius Diſſertationis,

AD

ILLVSTᴹⱽᴹ ET EXCELLᴹⱽᴹ DOMINVM,

D. GASPAREM DE BRACAMONTE,

PEÑARANDÆ COMITEM,

Philippo IV. Regi Catholico inter Nobiles à Cubiculis; eidémque à ſupremis Status Conſilijs; nec non & Senatus Ordinum militarium Præſidem.

NEMO in rebus Francicis adeò peregrinus eſt atque hoſpes, qui aliquando non legerit, vel audiuerit ſeruari AMPVLLAM vitream Remis in Campaniâ Gallicâ ad conſecrandos Reges, quam cælo demiſſam vulgò credunt. Huic vt miraculo fidem conciliet Arroyus, Francos Auctores appellat, vt rerum ſuarum magis peritos; ad externos verò nullatenus attinere ait, nec eorum commodo vel incommodo implicitam eſſe. Ad quæ Patricius Armacanus remiſsè; *Quod à tot ſæculis*, inquit, *traditum atque creditum à natione Gallicanâ, nolle ſe argumentis*

Sectione 1. de vnctione Regum.

In Marte Gallico lib. 1. cap. 2.

mentis quantumuis plausibilibus conuellere. Ac si nostrâ non interesset scire, vera an falsa sit Ampullæ Remensis historia, in cuius examine Regum nostrorum res agitur non leuis; quandoquidem Reges Franciæ, ante annos quadringentos, ab illius lagunculæ iactatâ è cælis origine seriò ambiuêre supra Reges alios honoris ac dignitatis prærogatiuam; quòd nempe suis, atque externis etiam, sensim persuasissent Franci, vnctionem CLODOVEI I. Francorum Regis cælestem fuisse. Sed posteaquam ex illâ ad fracturam opportunâ basi vanos vsurpauêre titulos, primumque confectati sunt dignitatis ordinem; hocce quo viuimus sæculo, qui doctrinâ inter illos eminebat Theodorus Gothofredus, vbi de præcedentiâ Regum Francorum expressim egit, nullam planè cælestis Ampullæ fecit mentionem; ad id vnum spectans, vt assererentur Franci in prærogatiui iuris spe & animo occupatâ possessione, premens silentio ius eiusmodi ab Ampullâ Remensi pridem petitum. Quin & ampliùs vir idem eruditus, quia probè nouerat, cælestem Ampullæ missionem fictitiam esse, verba Auctorum, qui ab illâ primariam prærogatiuæ Francorum causam hauserant, vel datâ operâ suppressit, vel certè edidit haud sincerè. Exempli causâ, Matthæi Parisij verba hoc modo truncata retulit: *Rex Francorum, qui terrestrium Rex Regum est, in medio sedebat.* Sic autem Parisius integrè loquitur: *Rex Francorum, qui terrestrium Rex Regum est, tum propter eius* CÆLESTEM INVNCTIONEM, *cùm propter sui potentiam & militiæ eminentiam, in medio sedebat.* Eodem

Libro edito Parisijs an. 1614.

Cap. 1. pag. 8. & 9.

dem loco hanc aliam quoque mutilatam edidit Parisij sententiam: *Rex Francorum, Regum censetur dignissimus.* Sic enim Parisius disertè: *Archiepiscopus Remensis, qui Regem Francorum* COELESTI *consecrat* CHRISMATE (*quapropter Rex Francorum, Regum censetur dignissimus*) *est omnium Franciæ Parium primus & excellentissimus.* Astutiâ eâdem prætermisit etiam Gothofredus Michaëlis Suriani, Venetæ Reipublicæ in Franciâ Legati, narrationem de Ampullâ Remensi, deductamque ab illâ Regum Franciæ prærogatiuam: atque, vt iam monui, in toto suo de Præcedentiâ libro cælestem vnctionem non attigit; quæ tamen ab initio præcipuum fuit Francorum prærogatiuæ fundamentum, vt clarè profitetur Hubertus Morus, Theologus Parisiensis, & Remensis Ecclesiastes, in Opere de Sacris Vnctionibus, quod Clementi VIII. Pontifici Maximo dedicauit: *Omnes in primis vtriusque Iuris interpretes*, inquit, *qui de iuribus & priuilegijs Regum Francorum scripserunt, eos omnibus nedum Christianis Regibus, verùm etiam Ecclesiasticis Antistitibus, vt Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus &* CARDINALIBVS *præferunt* (mirum quòd non etiam Summis Pontificibus) *potissimùm ob istam causam, quòd* COELESTI CHRISMATE *soli inter mortales vnguntur.* Inferiùs deinde: *Qui de iuribus & priuilegijs Regum Franciæ scripserunt, eam inter cæteras afferunt causam, cur Reges nostri* CHRISTIANISSIMI *appellentur, & nullum in temporalibus superiorem agnoscant; quia* SOLI *inter omnes Christianos Principes* OLEO COELESTI *perunguntur.* Tum

Vide infrà Cap. 11.

Vide item Cap. 15.

Excusum est Parisijs an. 1593. cum priuilegio. Lib. 2. cap. 7.

Cap. 9.

Lib. 3. cap. 5. etiam libro tertio: *Hoc insigni munere præpotentem Deum Reges nostros* ECCLESIÆ SVÆ PATRONOS, *& Sedem Apostolicam illos in* PRIMOGENITOS *adoptasse, hactenus creditum est, &, vt opinor, non temerè.* In Tacito Francico pag. 23. Sensu eodem P. Ceriserius, Regi Franciæ ab Eleemosynis: *Electa fuit Remorum ciuitas pro Baptismo* CLODOVEI; *Sanctus* REMIGIVS *pro sacrorum Rituum curatore:* AMPVLLA SACRA, *quâ vnguntur nostri Reges, munus fuit, quo* COELVM *festam diem decorauit. Voluit Deus, vt eius* VNIGENITVS *agnosceretur per columbæ descensum in Iordanem; voluit quoque, vt simile miraculum Ecclesiæ suæ* FILIVM PRIMOGENITVM *declararet.* Quòd denique præter ceteros populos (addit Hubertus Morus) Lib. 3. cap. 9. *Reges suos Gens Francorum semper sit venerata, illisq; penè seruiliter hactenus sit obsecuta, nihil aliud nos, vel maiores nostros ad hoc impulit, nisi quòd per* COELESTEM VNCTIONEM, *quâ soli ex omnibus Regibus perunguntur, credimus, præter cæteros mundi Principes, à Deo ad nominis sui gloriam, & Ecclesiæ suæ subsidium specialiter electos, christosq; Domini veraciter effectos, quibus non simpliciter vt Regibus, sed etiam vt sacris, Deoq; dicatis personis, quiduis obsequij, honoris & reuerentiæ exhibere debeamus.* Lib. 1. Histor. Eò respexit etiam Paulus Iouius, vbi dixit, *Gallos mirum in modum deditos esse Regibus suis, quibus* DIVINVM *quemdam animi* VIGOREM *persuasum habent.* Remis, an. 1643. cum priuilegio & approbatione. In Præfat. ad Lectorem. Guilielmus item Marlotus, magnus Prior Monasterij S. Nicasij Remensis, in Tractatu de Consecratione Regum, vbi agit de balsamo cælitus demisso, quod *sancta Ampulla* vulgò nuncupatur: *De illo*, ait, *tanto cum honore & elogio locuti sunt*

Aucto-

Auctores, vt crediderint Regum nostrorum TITVLOS EXCELLENTIORES *ab illius* VNCTIONIS *dignitate originem duxisse.* Deinde libro secundo : *Sacra & admirandæ* CLODOVEI *Regis vnctio ab ijs describitur, qui Regum nostrorum* MAGNITVDINEM & PRÆROGATIVAM *ad illius* VNCTIONIS *referunt dignitatem.* Tum libro tertio : *Scriptores tam externi quàm nostrates isthac gratiâ* SACRÆ & MIRACVLOSÆ VNCTIONIS *fulciunt elogia, quæ nostris Regibus tribuuntur.* Nec non etiam & quarto : *Etsi vnctio postmodum in alia Regna transierit, in quibus nunc exercetur; sumpsit initium à nostris Regibus, qui eâ soli fruuntur felicitate, vt* DIGNIORI *vngantur* LIQVORE, *qui vnquam de* COELO *in terram profluxerit, ob quem renuntiati sunt* VINDICES FIDEI, HÆRESEVM HOSTES, & SANCTÆ SEDIS PRIORES NATV FILII. Sequenti denique paragrapho: *Negari non debet, quòd* VNCTIO DIVINA *sit fons & origo tituli* CHRISTIANISSIMI; *quandoquidem* CLODOVEVS, *qui eum primus tulit,* DIVINITVS *planè fuit* CONSECRATVS, *magnasq; eo nomine accepit gratias, quæ in eius successores etiamnum dimanant: vnde Scriptores qui de dignitate Regum Franciæ egerunt,* VNCTIONEM *adferunt pro* BASI *omnium prærogatiuarum.*

Statim initio.

Cap. 1.

Cap. 19. §. De titulo Primogeniti Ecclesiæ.

§. De titulo Christianissimi.

Quia verò falsa & inania, tenebris & obscuritate sæculorum offusa, quæ non coarguuntur, fidei conciliant speciem; ratum mihi consilium fuit prouocare ad Veritatis tribunal, atque ostendere, AMPVLLAM Remensem, quam pro cælestis metalli nummo Franci hactenus obiecêre, fi-

ctitiam esse, atque officinæ sublunaris monetam, non signatam ex veritate rei, sed ex affectu ambituque; tandemque concludere, quidquid ex illo myrothecio à Francis desumptum IVRIS, MAIESTATIS, GLORIÆ, DIVINITATIS, illud totum inane & cassum esse. Testes autem fictionis aduocabo ipsosmet Francos, qui vel ante Hincmari, Remensis Archiepiscopi, & fabulæ inuentoris sera tempora, Ampullaris miraculi non meminére, quia non contigerat; vel qui posteriores Hincmaro, de re, quam negare pertimescebant, ancipiti animo sunt locuti. Hincmarum porrò *fabulæ inuentorem* dico, *quem in gratiam Ecclesiæ suæ, posterorumq́ Caroli magni*, MVLTAS FABVLAS *finxisse* notat Hadrianus Valesius in Gestis veterum Francorum. Lib. 8. pag. 469.

Huius autem meæ Disputationis Patronum atque Vindicem Te appello, COMES EXCELLENTISSIME, qui præterquam quòd ex Auilarum, Braquemontiorum, Guzmanorum & Mendoçarum illustri genere prosapiam ducis, magnis præditus animi dotibus, linguarum & historiarum cognitione pollens, nuper cùm in Superiore Germaniâ, tum in hac Inferiore nostrâ,

MOMENTA *rebus* MAGNA *perplexis dabas*;

Regi gloriam, Pacem populis, Tibi famam conciliabas æternùm perennaturam, nequicquam reclamantibus ijs, qui dum Pacem petunt Paci obstant; quos tamen spes affulget, non armis tantùm, sed æquitatis etiam viribus tandem aliquando superandos, si modò tam libenter veritatem audiant, quàm

quàm ego dilucidè hactenus docui, & ſine fuco, ſine odio, ſine affectu partium publicam feci, in eo præſertim argumento, quod, & meritò quidem, Iacobus Valdeſius tantoperè extulit in Hiſpaniæ prærogatiuâ, vbi ait: *Ex omnibus quæſtionibus, quæ hiſce & anteactis temporibus in foro Pontificio verſantur, haud ſcio an vlla alia genere ipſo nobilior, aut pondere grauior, aut re & dignitate ſublimior, aut publicâ auctoritate fructuoſior ſit; quàm quæ iam diu inter* HISPANOS *&* GALLOS *de excelſiori loco & ſede agitatur: quippe quæ ſit de re, quæ tantum ceteris præſtat, quantum* HONOS *omnibus humanis rebus præeſt atque excellit.* In Proœmio.

Tuum erit pro Tuâ ſingulari prudentiâ arbitrari, EXCELLENTISSIME DOMINE, an hac nouâ Diſquiſitione meâ ſecurim ad radicem PRIMVS fixero, atque ex Plinij præcepto, *difficultatibus victis, vtilitatem iuuandi prætulerim gratiæ placendi*; quod & iam in alijs Operibus ipſe feci, & quod maximè ab litteratorum ſtudijs expectari voluit magnus ille naturæ indagator. Fruar optatis, ſi lectione Tuâ laborem æſtimes, quem Tibi gratum fore plenâ comitatis Epiſtolâ mihi ſignificaſti; quemque Tuis adeò manibus MAXIMO REGI NOSTRO poſteriſque lubens trado. Benè vale, DECVS HISPANIÆ, & me meoſque amare perge. Bruxellæ III. Nonas Iunij anni M. DC. LI. In Præfat. Naturalis Hiſtoriæ. Scriptâ Madriti hoc anno 10. Febr.

Ioan. Iac. Chifletius.

INDEX CAPITVM.

FINIS.

CENSVRA.

LVCERNAM admouet Ampullæ Remensi Nobilissimus Dominus Ioannes Iacobus Chifletius; quámque distet à cælesti dono opus manuum hominum, ex ipsis Francicarum rerum Auctoribus & doctrinâ temporum palàm facit nouâ & accuratâ Disquisitione, quæ verè oleo madet doctrinæ reconditioris, & luce publicâ digno. Ita censeo Bruxellæ XXVI. Aprilis M.DC.LI.

Antonius Sanderus Presbyter, Canonicus & Scholasticus Iprensis, Librorum Censor.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS IV. *Hispaniarum & Indiarum Rex Catholicus, & Potentissimus Belgarum ac Burgundionum Princeps, Diplomate suo sanxit, nequis librum cui titulus,* De Ampullâ Remensi noua & accurata Disquisitio, ad dirimendam litem de Prærogatiuâ Ordinis inter Reges. Accessit Parergon de Vnctione Regum, contra Iacobum Alexandrum Tenneurium. Auctore Ioanne Iacobo Chifletio, Equite, & Regio Archiatrorum Comite, *præter Balthasaris Moreti voluntatem vllo modo intra nouennium imprimat, aut alibi terrarum impressum in Germaniæ Inferioris ditiones importet, venalémve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur; vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ* XX. *Iulij* M.DC.LI.

Signat.

Le Fren.

DE AMPVLLA REMENSI NOVA ET ACCVRATA DISQVISITIO.

CAPVT PRIMVM.

De tribus Francorum Cimelijs, AMPVLLA, LILIIS, AVRIFLAMMA, *quæ cælo deducta vulgò creditum.*

NON omne quod insolito splendore percellit oculos, aureum est; ludit sensum dumtaxat, vt mentem fabula, quæ ex admirandis & fidem non capientibus constitui solet. *Datur hæc venia antiquitati* (inquit Titus Liuius) *vt miscendo* Lib. 1. in Præf.
humana diuinis, primordia vrbium augustiora faciat. Troiani PALLADIVM cælo delapsum fabulati, tamdiu Troiam crediderunt incolumem fore, quamdiu intra eius mœnia seruaretur simulacrum illud; de quo Ouidius in Fastis: Lib. 6.

Creditur armigeræ SIGNVM CÆLESTE *Mineruæ,*
Vrbis in Iliacæ desiluisse iuga.

Romani, Numæ temporibus, ANCILE cæli dono acceptum voluerunt, tutam cum illo clypeo vrbem rati, eiusque potentiam perpetuò duraturam. Ne autem pelta illa ænea dignosci posset, furtoque summoueri, aliæ vndecim factæ à Mamurio, & in sacrario Martis collocatæ; vnde Virgilius numero multitudinis memorat *lapsa Ancilia cælo*, in quibus Imperij fata erant. Franci (si Superis etiam placet, Æn. 8.

ſanguine ab Iliaco populi) vt vtroſque fabularum arte non modò æmularentur, ſed numero etiam ſuperarent, tria excogitarunt Regni decora, miſſa Clodoueo I. Regi ab alto cæli vertice, atque æternùm perennatura, AMPVLLAM, LILIA, & AVRIFLAMMAM. Stephanus Forcatulus IC. Toloſanus ad mentem vulgi: *Tria pignora de cælo miſſa, Imperij Gallici ſempiterna,* SCVTVM LILIATVM, PHIALA ODORATA, *&* VEXILLVM *ſplendidum, purpuram æthercam confitens pro certo.*

Lib. 6. de Gall. Imperio.

De cæleſti Liliorum miſſione ne verbum quidem in totis quinque Scriptorum Franciæ antiquiorum Voluminibus, quæ Andreas Cheſneus pater, & Franciſcus filius, Regij Francorum Hiſtorici, typis edidêre, ab origine gentis vſque ad Philippi Pulchri Regis tempora, hoc eſt, vſque ad annum Chriſti M.CCC. ſed de illis candidè recentiores Hiſtorici. Bernardus Girardus Haillanus, Hiſtoriæ Scriptor regius: *Fides illa Francorum de* LILIIS *nullâ probati Scriptoris auctoritate confirmatur.* Ioannes Tilletus in Curiâ Pariſienſi ab Actis: *Fabula de Scuto Francico, quod Clodoueo Regi è cælo miſſum fuerit in Cœnobio Gaudij Vallis, vbi Scutum cum tribus Lilijs oſtenditur, adinuenta fuit poſt Carolum VI. Regem.* Ioannes Tilletus alter, Meldenſis Epiſcopus: *Prætereundum non eſt,* ODONEM (quem paulò antè vocauit *alienum à genere Caroli Magni) in Galliam attuliſſe nobile illud* SIGNVM, *innumeris ſparſum & pictum* LILIIS, *quod ad Caroli VI. tempora durauit.* Iſte quippe Rex Lilia ad numerum ternarium primus reduxit. Claudius Fauchetus, Senatus monetalis Præſes: *De Scuto regio per Angelum ad* CLODOVEVM *Regem delato nihil inuenitur in Hiſtoriâ Gregorij Turonenſis.* Alio loco: *Apud nullum bonæ notæ Scriptorem legi illam Scuti Francici Diuino nuntio ſignificationem; creduntq; viri docti, Inſignia familiarum recentiora eſſe.* Scipio Dupleix, regius Annalium Scriptor: *Quod attinet*

Lib. 1. Rer. Franc.

De Dignit. Franc.

In Chron. ad an. 891. 892.

Lib. de Inſig.

In Clodoueo I. Rege.

tinet ad ſcutum ceruleum LILIIS *pictum, neque hiſtoria, neque traditio, vllam fidem facit, quòd è cælo tranſmiſſum fuerit.* Guilielmus Marlotus, Magnus Prior Eccleſiæ Sancti Nicaſij Remenſis, poſtquam docuit Inſignia gentilitia non fuiſſe certa in familijs ante primam Francorum expeditionem in Terram ſanctam, quod firmat exemplis ſcutorum Nauarræ & Angliæ Regum: *Idem poſſumus dicere,* addit, *de ſcutario Francorum typo; tum quia Gregorius Turonenſis, Flodoardus & Aimoinus, Auctores antiqui, illum non obſeruarunt; tum etiam propterea quòd buffonum mutatio in Lilia merum eſt extraneorum figmentum, ex Hunibaldi deliramentis hauſtum. Opinio itaque de Lilijs è cælo miſſis in Clodouei Regis inauguratione valdè eſt ſuſpecta, vtpote quæ fundamento ac auctoritate caret.* Lib. 2. cap. 4.

Eximiæ ſemper fuit auctoritatis hoſtium in re propriâ teſtimonium: hæret nihilominùs in eo errore vulgus imperitum, propterea quòd videat ſcutum ſui Regis cæleſtibus genijs hinc inde ſuſtentatum, ac ſi ad Clodoueum Regem Angelico miniſterio delatum olim fuerit, atque ad alios Reges ſucceſſione tranſlatum: ſed primus Regum qui Angelo ſcutum retrò fulciuit, fuit CAROLVS VI. qui obijt anno M. CD. XXII. cuius filius CAROLVS VII. pro ſcutarijs telamonibus ceruis alatis quandoque vſus eſt. LVDOVICVS XI. deinde, Carolo VII. genitus, poſtquam Angelicam Diui Michaëlis militiam inſtituiſſet anno M. CD. LXIX. binos cæleſtes genios pro ſcuti Atlantibus vſurpauit: LVDOVICVS XII. poſtmodum geminas hiſtrices. Poſt quem ceteri Reges, Michaëlini Ordinis Principes ſupremi, binis Angelis continuò ſunt vſi. Id porrò totum, quod dico, in auerſis Regum ſigillis ad oculum videre eſt. An. 1422. San-Marthani lib. 1. cap. 12. An. 1469.

AD AVRIFLAMMAM quod attinet, fusè docui in Luminibus Salicis, fuiſſe vexillum Eccleſiæ S. Dionyſij, quo vtebantur Cœnobitæ ad ſtatas & ſolemnes pro Regis ac Lum. 4. fac. 2.

Regni felicitate Supplicationes. De illâ paucis & verè Scipio Dupleix iam laudatus, poſtquam de Lilijs ſe explicuit: *Fabuloſum eſt ſimiliter*, AVRIFLAMMAM *Clodoueo Regi è cælo miſſam fuiſſe. Erat enim vexillum Eccleſiæ S. Dionyſij, quod olim Reges noſtri ad bellicas magni momenti expeditiones deferri iubebant.* Marlotus item iam citatus, de Auriflammæ cæleſti miſſione: *Chronica antiqua ſilent, videturq; antiquitas aut veneratio, quæ olim vexillo illi exhibebatur, huius miraculi fidem ſimplicibus impreſſiſſe, quæ in litteratorum animos ſe tandem inſinuauit.*

Loco cit. · Lib. 2. cap. 5.

Itaque binas è cælo fictas faces ipſimet Franci iam extinxêre: ſupereſt AMPVLLA REMENSIS, quæ eſt exigua ex vitro rudi phiala, ficus mediocris craſſitudine; cuius tamen formam ſic prædicat Balthaſar de Vias:

Syluâ 2.

Quam CÆLI *perfecit* OPVS, *cui Numina ſummam*
Impoſuêre manum, & miro ceromate plena
Fluxit, vt hoc tanto Reges ſacrentur oliuo.

Cap. 2. fin.

Liquorem verò eâ contentum Vindex Gallicus vocat *Balſamum, quod non Arabia immiſit, ſed quod cælum terris impluit; nec frutex aliquis ſtillantibus lacrymis ſudauit, ſed ipſa* SYDERA *quaſi roſcida effuderunt.* Eodem extra fines ſaltu, mella, quæ ex floribus terrâ exortis apes colligunt, Plinius è cæli cadentia fingit altitudine, vocatque *ſudorem cæli, ſaliuam ſyderum, dona cæleſtia, diuinum nectar.* Vt autem palàm agnoſcamus an illi oracula Sibyllina, an verò anilia commenta nobis ebuccinent; expendenda ſunt ſigillatim Scriptorum Franciæ teſtimonia de Baptiſmo Clodouei I. Regis.

Lib. 11. cap. 12. & 14.

CAPVT

CAPVT II.

Baptiſmus CLODOVEI I. *Francorum Regis peractus eſt Remis ſæculo quinto exeunte. De illo æquale teſtimonium S. Auiti Viennenſis Epiſcopi, qui de Ampullâ cælitus miſſâ planè ſilet.*

CLODOVEI I. Regis Baptiſmum Annales Francorum aſſignant anno Regni eius XV. poſt victoriam Alamannicam: is autem eſt, iuxta æram noſtram, annus Chriſti deſinens CD. XCVI. In Natali enim Domini, deſinente anno, baptizatum teſtatur æqualis Auctor S. Auitus (Ennodio *præſtantiſſimus inter Gallos Viennenſis Epiſcopus*) in Epiſtolâ ad ipſummet CHLODOVECVM Regem Chriſtianis ſacris recèns initiatum: *Gaudeat ergo quidem Græcia*, inquit, *habere ſe Principem Legis noſtræ; ſed non iam quæ tanti muneris dono ſola mereatur illuſtrari, quòd non deſit & reliquo orbi claritas ſua. Siquidem & occiduis partibus* IN REGE NON NOVO *noui iubaris lumen effulgurat, cuius ſplendorem congruè Redemptoris noſtri* NATIVITAS *inchoauit, vt conſequenter eo die ad ſalutem regenerari ex vndâ vos pateat, quo natum redemptioni ſuæ cæli Dominum mundus accepit. Igitur qui celeber eſt* NATALIS DOMINI, *ſit & veſtri, quo vos ſcilicet Chriſto, quo Chriſtus ortus eſt mundo; in quo vos animam Deo, vitam præſentibus, famam poſteris conſecraſtis. Quid iam de ipsâ* REGENERATIONIS VESTRÆ *ſolemnitate dicatur? cuius miniſterijs etſi corporaliter non acceſſi, gaudiorum tamen communione non defui: quandoquidem hoc quoque regionibus noſtris Diuina pietas gratulationis adiecerit, vt ante* BAPTISMVM VESTRVM *ad nos ſublimiſſimæ humilitatis nuntius perueniret: vnde nos poſt hanc expectationem iam ſecuros veſtri ſacra nox reperit. Conferebamus namque, nobiſcumq; tra-*

Sirmondus in Notis ad Tom. 1. Conc. Galliæ. An. 496.

In Vitâ S. Epiphanij.

Epiſt. 41. Ann. 497.

ctabamus quale eſſet illud, cùm ADVNATORVM NVMERVS PONTIFICVM, *manu ſancti ambitione ſeruitij, membra regia* VNDIS VITALIBVS *confoueret: cùm ſe Dei ſeruis inflecteret timendum gentibus caput: cùm ſub caſside crines nutritos ſalutari galeâ* SACRÆ VNCTIONIS *indueret: cùm intermiſſo tegmine loricarum immaculati artus ſimili candore fulgerent. Faciet, ſi quid creditis, Regum florentiſsime, faciet inquam indumentorum iſta mollities, vt vobis deinceps plus valeat rigor armorum: & quidquid felicitas vſque huc præſtitit, addat hinc ſanctitas.*

Baptiſmum Clodouei Regis eleganter prædicat S. Auitus, eique gratulatur ſummoperè, quòd ea ſolemnitas peracta eſſet Natali Domini, quo ille Chriſto, quo Chriſtus ortus eſt mundo. Quòd ſi illâ ipsâ die COLVMBA cælitus aduolaſſet, ampullamque olei S. Remigio attuliſſet, eâque Clodoueus inunctus; Deus bone, quæ gaudia & quæ laudum præconia S. Auitus non explicaſſet, qui in Lib. 4. Poëmate de diluuio mundi columbam à Noëmi arcâ dimiſſam ſic deſcripſit:

Protinus ALBENTEM *mittit de ſede* COLVMBAM:
Illa memor iuſsi rapido petit arua volatu;
Paciferaq; videns ramum viridantis oliuæ
Decerpit, mitiq; refert ad condita roſtro.

Epiſt. 12. Qui Auitus etiam fratris ſui Apollinaris, Valentinæ Sedis Epiſcopi, ſomnium ita retulit: *Sic ergo inquis; nam in ipsâ nocte ſanctâ, in quâ ſcilicet Germanæ communis depoſitio celebrabatur, neſciò quid manibus meis haſerat, quod confedens iuxta me fulgentiſsima, ſed inuſitato colore* RVBEA COLVMBA *vellebat.* Binas columbas viuis coloribus depinxit S. Auitus, & candidam in Baptiſmo Clodouei, æqualis ſui, cælo delapſam non agnouit. Adde, quod ex eius verbis *adunatorum numerus Pontificum* illi ſacro Baptiſmi miniſterio præſens interfuit, qui viſa cæleſtia poſteritati tradidiſſet, &

Ampul-

Ampullæ miraculum, vt Diuinæ virtutis opus, non Galliæ solùm, sed Orbi toti annunciasset. Ex illo autem Præsulum numero erat SOLEMNIS Episcopus Carnotensis, in cuius Vitâ hæc leguntur de Rege Ludowico, siue Clodoueo: *Misit Legatos ad Beatum* SOLEMNEM, *vt eum Baptismi vndâ perfunderet, in quâ vita eius à crimine expiaretur; qui adiuncto sibi Sancto* REMIGIO, *Remensium vrbis Episcopo, Diuinâ feruentem virtute Regem cum summâ alacritate baptizauerunt: absterfit autem Deus ex terrâ cordis eius caliginem. Cum eodem itaque Rege trecentos sexaginta quatuor* NOBILES SATRAPAS *purgauerunt, quos regeneratos Fons Mater in Spiritu sancto in adoptionis parturijt filios, vt aureus anni circulus dierum completur numero.* Tam sedulus in numero Nobilium designando Auctor iste antiquus de Ampullæ prodigio nullam mentionem facit. Sed & forsan quoque Clodouei Baptismo præsens interfuit S. MELANIVS Redonensis, *Clodoueo Regi cognitus, & strenuus eius Consiliarius*; à quo Clodoueum Christianam Religionem edoctum, priusquam à S. Remigio baptizaretur, scribunt Ioannes Chenu, & Andreas Saussayus. Aderat etiam S. VEDASTVS tunc Sacerdos, nondum Atrebatensis Episcopus.

Ex MS. S. Maximini Treuir. apud Bollandum, 25. Sept.

Bollandus 6. Ian.

Ceterùm præter S. Auiti auctoritatem, Clodouei Baptismus ad Christi Natale celebratus agnoscitur ex eius Regis præcepto Reomaënsi; *primo nostro*, inquit, *susceptæ Christianitatis atque subiugationis Gallorum anno. Datum sub die* IV. *Kalendas Ianuarias, indictione* V. *Actum Remis ciuitate anno Magni Clodouei* XVI. Dies enim dati præcepti IV. Kal. Ian. designat tempus Baptismi Clodouei Natalem Domini fuisse, qui tunc ad exitum anni primi post susceptum ab eo Baptismum recurrebat. *Nec est quod cuiquam mora fiat*, addit Roueriüs, *quòd dies iste* IV. *Kal. Ian. computetur hic anno primo Christianitatis Clodouei, etiamsi eum annum*

Rouerius in Reomao cap. 2.

Illustrat. cap. 47.

annum quinque diebus excedat: nam annus primus Christianitatis Clodouei computatus est, vt solet, à Kalendis Ianuarij sequentibus, neglectis aliquot diebus anni prioris. Et indictio quinta, quæ hic notatur, præclarè conuenit cum anno XVI. *Clodouei, inchoato à mense Nouembri, cùm ille iam subiugasset Burgundiam fluente anno Regni* XV. Primum præterea annum *subiugationis Gallorum* (Cap. 52.) rectè explicat Rouerius de Gallis Lugdunensibus, quos Clodoueus statim à Baptismo suæ ditioni subiecit, Gundebaldo Rege Burgundiæ armis deuicto.

CAPVT III.

S. Remigius Archiepiscopus Remorum nullibi testatus est, Ampullam chrismatis ad baptizandum Regem Clodoueum sibi cælitus missam. Profertur verum ac legitimum eius testamentum: aliud, quod pridem editum est, falsum est atque confictum.

(Sirmondus loco iam citato. An. 511.) CLODOVEVM I. Regem vitâ functum anno Christi D. XI. adnotat breue Chronicum S. Vincentij Metensis: nec ante hunc prorsus annum statui Clodouei obitus sine errore non potest, cùm ipso iubente & superstite celebratum sit Concilium Aurelianense primum, cui sedem defigit Felicis Consulatus, quem in subscriptionibus præferunt multi Codices antiqui. (Anno 511.) Fuit autem Consul Felix, vt est in Fastis, anno D. XI. Post Clodouei obitum condidit testamentum S. Remigius, cuius exemplar mihi vtendum præbuit magnus vindex Cælitum R. P. Ioannes Bollandus; estque ita perscriptum:

Testa-

Testamentum S. Remigij Remensis Episcopi, ex Hincmari Remensis libro M s. de Vitâ S. Remigij, collatum cum alio M s. Monasterij Bonifontis, Ordinis Cistereiensis, in Diœcesi Remensi.

EGO REMIGIVS *Episcopus Ciuitatis Remorum, sacerdotij compos, testamentum meum condidi iure prætorio, atque id codicillorum vice valere præcepi,*[a] *si iuris aliquid videbitur defuisse, quandoq; ego* REMIGIVS *Episcopus de hac luce transiero, tu mihi hæres esto sancta & venerabilis Ecclesia Catholica vrbis* REMENSIS: *& tu fili fratris mei* LVPE *Episcope, quem præcipuo semper amore dilexi: & tu nepos meus* AGRICOLA *Presbiter, qui mihi obsequio tuo à pueritiâ placuisti, in omni substantiâ meâ, quæ meâ sorte obuenit antequam moriar, præter id quod vnicuique*[b] *donauero, daríve iussero, vel vnumquemque vestrûm voluero habere præcipuum. Tu sancta hæres mea* REMENSIS ECCLESIA *colonos, quos in*[c] *Portensi habeo territorio, vel de paternâ maternâque substantiâ, vel quos cum fratre meo sanctæ memoriæ* PRINCIPIO *Episcopo commutaui, vel donatos*[d] *ab eo possidebis. Dagaredum, Profuturum, Prudentium, Tennaicum, Maurilionem, Baudoleifum, Prounitiolum, Niuiatenam, Lautam, Suffreniam, colonas, Armorinum quoque seruum tuo dominio vindicabis. Nec non villas agrosq;, quos possideo in solo*[e] *Portensi, cum pratis, pascuis, siluis, ad te testamenti huius auctoritate reuocabis. Futuro Episcopo successori meo amphibalum album paschalem relinquo, stragula columbina duo, vela tria, quæ sunt ad ostia diebus festis, triclinij, cellæ & culinæ. Vas argenteum decem & octo librarum inter te, Hæres mea, & diocesims tuam Ecclesiam*[f] *Lugdunensem, factis patenis atque calycibus ad ministerium sacrosanctum, prout volui, Deo annuente distribui. Aliud argenteum vas, quod mihi* DOMNVS INLVSTRIS MEMORIÆ HLVDOWICVS, QVEM DE SACRO BAPTISMATIS FONTE SVSCEPI, *donare dignatus est, vt*

a *fieri quatenus si*

b *legauero,*

c *Pontensi*

d *habeo*

e *Pontensi,*

f *Laudunensem,* & sic vbique.

de eo facerem quod ipse voluissem, tibi Hæredi meæ Ecclesiæ suprà memoratæ iubeo [g] turriculum & imaginatum calycem fabricari, quod faciam per me si habuero spatium vitæ: si autem antè clausero vltimum diem, tu fili fratris mei, Lvpe *Episcope, species antedictas tui ordinis memor efficies. Conpresbiteris meis & Diaconibus, qui sunt Remis, viginti & quinque solidos æqualiter diuidendos in commune dimitto. Vitis plantam super vineam meam ad suburbanum positam simili modo communiter possidebunt cum Melanio vinitore, quem do in loco Ecclesiastici hominis Albouichi, vt Albouichus libertate plenissimâ perfruatur. Subdiaconibus solidos duos, Lectoribus solidos duos, Ostiarijs & Iunioribus solidos duos iubeo dari. Pauperibus in matriculâ positis, ante fores Ecclesiæ expectantibus stipem, duo solidi, vnde reficiantur, inferentur. De Vaculiaco Fruminium, Dagalesum, Dagaredum, Ductionem, Baudouicum, [h] Vldulfum, Vinofeifam, liberos esse præcipio. Tennaredus, qui de ingenuâ nascitur matre, statu libertatis vtatur. Tu verò fili fratris mei,* Lvpe *Episcope, tuo dominio vindicabis Infastem, & matrem suam Mutam; vineam quoque quam Enias vinitor colit. Elam & Monulfum filium eius iuniorem iubeo libertate perfungi. Melouicum portarium, & Pascasiolam coniugem suam; Verniuianum cum filijs suis, excepto VVindragasio, cui tribuo libertatem, tuo iuri deputabis. Seruum meum de Cesurnico tuum esse præcipio. Agrorum partem ad te, quam frater meus* Principivs *Episcopus tenuit, cum siluis, pratis, pascuis reuocabis. Seruum meum, quem Mellouicus tenuit, [i] Viteredum derelinquo. Teneursolum, Capalinum, & vxorem suam Teudoreseuam tuo iuri dominioq; transcribo. Teudoniuia quoque ex meâ præceptione sit libera. Edoueifam, quæ homini tuo sociata fuit, & eius cognationem retinebis. Vxorem Aregidi & cognationem suam ingenuos esse iubeo. Partem meam de prato, quod Lugduni iuxta vos habeo, ad [k] imitatem montium posito, & quæ*

[g] *thuribulum*

[h] *Vidulfum,*

[i] *Interedum*

[k] *vnitatem*

[l] *nouia*

[l] *nouia sunt pratella quæ tenui, ad te reuocabis. Tibi autem* l *Ionia*
nepos meus AGRICOLA *Presbiter, qui intra domesticos parietes meos exegisti pueritiam tuam, trado atque transcribo Merumuastem seruum, & uxorem suam Merotenam, & eorum filium nomine Marcouicum. Eius fratrem Medouicum iubeo esse liberum. Amantium, & vxorem suam Daero, tibimet derelinquo; eorum filiam esse præcipio liberam. Dasouindam, Alaricum seruum tuæ deputo portioni; cuius vxorem, quam redemi & manumisi, commendo ingenuam defendendam. Bebrimodum, & vxorem suam Moram tuo dominio vindicabis: eorum filius Monacharius gratulabitur beneficio libertatis. Mellaricum, & vxorem suam Placidiam ad tuum dominium reuocabis: Medarinus eorum filius sit libertus. Vineam, quam Mellaricus Lugduni tibi facit, tibi dono; Brutobaude seruum, nec non etiam Gibericum. Vineam, quam Bebrimodus facit, tibi eatenus derelinquo, vt diebus festis, & omnibus Dominicis, sacris altaribus mea offeratur oblatio; atque annua conuiuia Remensibus Presbiteris & Diaconibus præbeantur. Delegoq́ nepoti meo Prætextato Mideratum, Totionem, Marcouicum, Innocentium seruum, quem accepi à Profuturo originario meo. Coclearia quatuor de maioribus, acetabulum, lucernam, quam mihi tribunus Friaredus dedit, & argenteam tabulam figuratam filiolo eius Parouio; acetabulum, & tria coclearia, & casulam, cuius fimbrias commutaui. Remigiæ coclearia tria, quæ meo sunt nomine titulata; mantele ipsius, quod habeo feriale, transcribo. Hichinaculum quoque dono illi, de quo Gundebando dixi. Delegoq́ benedictæ filiæ meæ Hilariæ Diaconæ ancillam nomine Noram; & vitium pedaturam, quæ suæ iungitur vineæ, quam* [m] *Cattusio facit,* m *Cartusio*
dono; & partem meam de Talpuciaco transcribo pro obsequijs, quæ mihi indesinenter impendit: Etio nepoti meo partem de Cersunico, quæ mihi sorte diuisionis obuenit, cum omni iure, quod tenui atque possedi. Ambrosium quoque puerum ad ius

 illius

illius dominiumq́; transmitto. Vitalem Colonum liberum esse iubeo, & familiam suam ad nepotem meum Agathimerum pertinere; cui vineam dono, quam posui Vindonissæ, & meo labore constitui; sub eâ conditione, vt à patribus suis, omnibus diebus festis & Dominicis pro commemoratione meâ sacris altaribus offeratur oblatio; & Lugdunensibus Presbiteris atque Diaconibus annua conuiuia concedente Domino præbeantur. Dono Ecclesiæ Lugdunensi solidos XVIII. *quos Presbiteri & Diaconi inter se æquali diuisione distribuant. Partem meam de Secia ex integro ad se reuocet Lugdunensis Ecclesia. Commendo Sanctitati tuæ, fili fratris mei* LVPE *Episcope, quos libertos esse præcipio, Rattusionem, & Auliatenam coniugem suam; Nonnienem, qui meam vineam facit; Sumnofeifam, quam captiuam redemi, bonis parentibus natam, & eius filium Leuberedum; Mellaridum & Mellatenam; Vasantam coquum, Cæsariam, Dagaraseuam & Baudorosseuam Leonis neptem; & Marcoleifum filium Totionis; hos totos, fili fratris mei* LVPE *Episcope, sacerdotali auctoritate liberos defensabis. Tibi autem hæredi meæ Ecclesiæ Flauianum & vxorem suam Sparagildem dono; eorum filiam paruulam Flauarasеuam liberam esse constitui. Fedamiam vxorem Melani, & eorum paruulam, Remenses Presbiteri & Diaconi poßidebunt. Cespitiolum Colonum liberum esse præcipio, & ad nepotem meum Etium eius familiam pertinere; ad vtrumque, id est, ad Etium & Agathimerum peruenire* [n] *Colonicam paßiarum. Pronepoti meo Prætextato dono modò Roseuam. Profuturo* [o] *Leodachanum puerum trado. Profuturæ dari iubeo* [p] *Leodoueram. Lugdunensibus Subdiaconibus, Lectoribus, Ostiarijs, & Iunioribus quatuor solidos derelinquo. Pauperibus in matriculâ positis solidus dabitur ad eorum refectionem. Delegoq́; octo solidos Ecclesiæ Sueßionum pro commemoratione nominis mei: Catalaunensi Ecclesiæ solidos sex: Mosomagensi solidos quinque: Vongensi agrum*

apud

n *Colo-niam*

o *Leude-charium*

p *Leudo-ueram.*

apud officinam molinarum, quæ ibi est constituta: Catarigensi Ecclesiæ solidos quatuor; totidemq́ Portensi pro commemoratione mei nominis inferentur. Vrsi Archidiaconi familiaribus vsus obsequijs, dono ei domitextilis casulam subtilem, & aliam pleniorem; duo saga delicata; tapete, quod habeo in lecto; & tunicam, quam tempore transitus mei reliquero meliorem. Hæredes mei, Lvpe *Episcope, &* Agricola *Presbiter, porcos meos æqualiter diuidetis. Friaredus, quem ne occideretur quatuordecim solidis comparaui, duos concessos habeat, duodecim det ad Basilicæ Domnorum Martirum Timothei & Apollinaris cameram faciendam. Hæc ita do, ita lego, ita testor. Ceteri omnes exhæredes estote, sunto. Huic autem testamento meo dolus malus abest aberitq́; in quo si quæ litura, vel charaxatura fuerit inuenta, facta est à me præsente, dum à me relegitur & emendatur. Actum Remis die & Cons. suprascripto, intercedentibus & medijs signatoribus.* q tapetum,

Remigivs *Episcopus testamentum meum relegi, signaui, subscripsi, & in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti Deo adiuuante compleui.*

vc. Pappolvs *interfui & subscripsi.*
vc. Rvsticolvs *interfui & subscripsi.*
vc. Evlodivs *interfui & signaui.*
vc. Evtropivs *interfui & signaui.*
vc. Evsebivs *interfui & signaui.*
vc. Davvevs *interfui & signaui.*

Post conditum testamentum, imò signatum, occurrit sensibus meis, vt Basilicæ Domnorum Martirum Timothei & Apollinaris missorium argenteum sex librarum ibi deputem, & ex eo sedes futura meorum ossium componatur.

Hactenus testamentum S. Remigij, cui in eodem Ms. codice Hincmarus adiecit hæc verba: *Attendat hîc lector, quia solidorum quantitas numero quadraginta denariorum computatur, sicut tunc solidi agebantur, & in Francorum lege Salicâ continetur, & generaliter in solutione vsque ad tempora*

Magni Karoli perdurauit, velut in eius capitulis continetur.

Iſtud ergo, quod edidi, & quod Hincmarus penes ſe habuit, verum eſt atque germanum S. Remigij teſtamentum, cui ſubſcripti leguntur ſeni dumtaxat teſtes, viri Conſulares; cùm tamen ſeptenos fuiſſe colligat Coluenerius ex alio codice MS. Remenſi, in quo, præter alios ſex, legitur omiſſo nomine, VC. *interfui:* conijcitque hunc ATTOLVM fuiſſe, *virum præclarum, & Remigij amicum,* teſte Flodoardo. Nihil ergo hîc deſideratur amplius præter diem & Conſulem, quos omiſit libellio, nobiſque ademit certum tempus conditi teſtamenti.

In Scholijs ad cap. 18. lib. 1. Hiſt. Flodoardi.

Lib. 1. cap. 23.

Sed & alios codicillos S. Remigius videtur conſcripſiſſe, ex quibus Milo Monachus Elnonenſis, qui Alberico teſte clarebat anno DCCC. LXXIX. iſthæc verba deſcripſit: *De lego ſaluonarias ſuper Moſam, & ſolidos decem Eccleſiæ Sueſſionenſi pro commemoratione nominis mei. Item ſablonarias ſuper Maternam hæredibus meis pro animâ fratris mei* PRINCIPII *delegaui. Capellulæ quoque Sanctæ Teclæ extra muros vrbis Sueſſionicæ ſitæ, vbi beatiſſimum corpus fratris mei* PRINCIPII *recondidi, delego ſolidos quatuor.* Ratio mea eſt, quia in priore & ritè conſcripto Sancti Viri teſtamento clauſulæ ſic conceptæ non inueniuntur.

In Sermone de S. Principio Sueſſionenſi, 25. Sept.

In Chron. An. 879.

Aliud S. Remigij teſtamentum, quod primus Flodoardus litteris prodidit in Hiſtoriâ Eccleſiæ Remenſis; deinde Barnabas Briſſonius in formulis; tum Aubertus Miræus in Codice Piarum donationum; quodque inductus in errorem Armacanus *Propheticum* nuncupauit; falſum eſſe & confictum arbitratur Hadrianus Valeſius rerum Francicarum peritiſſimus. Illud certè battologiâ laborare nemo inficias iuerit, cùm Clodoueum à ſe de ſacro fonte ſuſceptum multoties, nec abſque affectatione repetit, atque identidem diuinâ ope res à ſe mirabiliter geſtas commemorat, præter morem, non dicam Sanctorum Virorum (quibus eiuſ-

Lib. 2. cap. 45.

Lib. 6. p. 270.

modi

modi φιλαυτίαν adſcribere ſit nefas) ſed obuij cuiuſlibet teſtatoris. Adde quòd ipſemet Hincmarus contradicit : poſtquam enim recenſuit beneficia per S. Remigium hominibus præſtita, addit: *Intendebat Vir Sanctus iactantiam virtutum fugere, in quo non poterat gratia excelſa latere.* In Vitâ S. Remigij.

Præterea teſtamenti fabricator & corruptor Remigium loquentem de regio genere (hoc eſt de Clodoueo & eius filijs) ſic inducit : *Quod in Regiæ Maieſtatis culmen perpetuò duraturum elegi*, BAPTIZAVI, DE SACRO FONTE SVSCEPI, *donoq; ſeptiformis* SPIRITVS *conſignaui, & per eiuſdem* SACRI CHRISMATIS VNCTIONEM *ordinaui in Regem.* Atqui ex veritate hiſtoricâ iſtud vltimum non conſtat: Reges enim Francorum primæ ſtirpis, vt regalem auſpicarentur dignitatem, vel ſuper clypeo eleuabantur, vel ſolio ſublimabantur regio. *Mortuo Childerico* (anno CD.LXXXI.) REGNAVIT CHLODOVEVS *filius eius pro eo*, inquit Gregorius Turonenſis: id autem eſt, vt ſcribit Aimoïnus, *patri hæreditario iure ſucceſſit*; tunc ſcilicet more gentis inauguratus in Regem, poſtmodumque anno Regni ſui XV. baptizatus à S. Remigio, vnctus eſt vnctione Baptiſmi, non regiâ, qui tot antè annis poteſtate ſummâ Regnum adminiſtrarat: vnde S. Auitus Viennenſis ipſi recèns baptizato gratulabundus ſcripſit: *Occiduis partibus in* REGE NON NOVO *noui iubaris lumen effulgurat*. Adde quòd in legitimo S. Remigij teſtamento, *Baptiſmi* dumtaxat, & in Gregorij Turonenſis Hiſtoriâ, *vnctionis Baptiſmalis*, non Regiæ, fit commemoratio. Illud certè falſum. S. Remigij teſtamentum qui compoſuit, initium & finem ex legitimo ad verbum mutuatus eſt. Et ſi coniecturis agere licet, exiſtimo à Remenſi quopiam alumno confictum per initia ſæculi octaui, vt Carolo Martello Eccleſiarum tunc deprædatori metum incuteret : *Carolus quippe cæteris, qui ante illum fuerant Regibus*, ait Flodoardus, *audacior factus*,

An. 481. Lib. 2. cap. 27. Lib. 1. cap. 12. An. 496. Epiſt. 41. Lib. 2. cap. 31. Lib. 2. cap. 12.

factus, non solùm Remensem Episcopatum, sed etiam alios Regni Francorum, laicis hominibus, & Comitibus dederat: quin & S. Rigobertum Remensem Archiepiscopum Sede suâ deturbarat, & bona Ecclesiæ iniustè vsurparat: vnde ipsemet Hincmarus scribit, *reuelationem ostensam Eucherio Ciuitatis Aurelianensis Episcopo de damnatione æternâ Caroli, qui res Ecclesiarum diuiserat.* Sic autem tabularum Compilator S. Remigium de Regibus & Principibus Francorum loqui facit: *Statuo, vt si aliquando* GENVS *illud* REGIVM, *per benedictionem meam totiens Domino consecratum, mala pro bonis reddens, Ecclesiarum Dei peruasor, destructor, depopulator, grauis aut contrarius existere voluerit, conuocatis Remorum Diœceseos Episcopis, primùm moneatur; & deinde Ecclesia Remensis præfata, adiunctâ sibi sorore, Ecclesiâ scilicet Treuerensi, iterùm conueniat. Tertiò verò, Archiepiscopis tantummodò Galliarum tribus aut quatuor conuocatis,* PRINCEPS *ille, quicumque fuerit, moneatur: ita vt vsque ad septimam monitionem, si priùs satisfacere renuerit, paternæ pietatis longanimitate differatur. Tandemq; si, postpositis omnibus præfatis monitionibus, incorrigibilis contumaciæ spiritum non deposuerit, & se per omnia Deo subdi nolens, Benedictionibus Ecclesiæ participare noluerit, elogium segregationis à Corpore Christi ab omnibus ei porrigatur, quod per Prophetam & Regem Dauid longè antè, eodem, qui in Episcopis est, dictante Spiritu sancto, noscitur decantatum: Quia persecutus est, inquit, hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde, & non est recordatus facere misericordiam, & dilexit maledictionem, & veniet ei; & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Totumq; ei, quod in persona Iudæ, traditoris Domini nostri Jesu Christi, & malignorum Episcoporum Ecclesia decantare solet, per singulas ei decantetur Ecclesias, quia Dominus dixit: Quamdiu fecistis vni ex minimis meis, mihi fecistis; & quamdiu his non fecistis, nec mihi*

Sigebertus anno 723.

In Vitâ S. Remigij.

mihi fecistis. Et ideò quod probatur in capite, in membris intelligendum esse non dubitetur. Vnum tantummodò ibi verbum per immutationem commutatur: Fiant dies eius pauci, & PRINCIPATVM eius accipiat alter. Ille, quisquis fuit, benedictionum & anathematum confictor non potuit se continere, quin Carolum Martellum velut digito indicaret, dum dixit: *Princeps ille, quicumque fuerit, moneatur.* Et inferiùs: *Principatum eius accipiat alter.* Martellus enim lineâ muliebri de regio Merouingorum genere oriundus, quamuis Regiâ auctoritate Francis imperaret, Regis nomine non audiebat, sed *Ducis* tantùm, *& Principis Francorum.*

In summâ, qui testamentum illud cudit, & S. Remigium mirabilia sua recitantem induxit, de Ampullæ miraculo planè siluit; haud dubiè si certum fuisset, aut de illo quidpiam intellexisset, non omissurus; quippe quòd non modò ad Dei gloriam, ac S. Remigij honorem, sed etiam ad Regni Regumque Franciæ commendationem patratum fuisset.

Epitaphium CLODOVEI I. Regis à S. Remigio, vt creditur, factum, & eius tumulo inscriptum:

DIVES opum, virtute potens, clarusq́, triumpho Apud Aimoïnum lib. 1. cap. 25.
Condidit hanc Ædem Rex CHLODOVEVS, *& idem*
PATRICIVS *magno sublimis fulsit honore.*
Plenus amore Dei contemsit credere mille
Numina, quæ varijs horrent portenta figuris.
Mox purgatus aquis, & CHRISTI FONTE *renatus,*
Fragrantem gessit INFVSO CHRISMATE *crinem:*
Exemplumq́, dedit, sequitur quod plurima turba
Gentilis populi, spreto quæ errore suorum
Auctorem est cultura Deum, verumq́, parentem.
His FELIX MERITIS *superauit gesta priorum,*
Semper consilio, castris bellisq́, tremendus:
Hortatu Dux ipse bonus, ac pectore fortis,
Instructas acies firmauit in agmine primus.

Haud malè verſus hoſce S. Remigio tribui ab Aimoïno
Lib. 6. pag. 315. arbitratur Valeſius, quia in illis Clodoueus *felix meritis* dicitur, vt aliàs ab ipſomet S. Remigio, in duabus Epiſtolis, *illuſtris meritis*, & *meritis magnificus Rex* appellatur. Addit Valeſius, *illis in verſibus virtutem ac fortitudinem Clodouei, agmen ducere, ac inter primos dimicare ſoliti; prudentiam, felicitatem, naturalem quamdam eloquentiam, quoties milites alloqui, & ad pugnam hortari oportebat, non immeritò laudari: vnam eſſe, in quâ iure culpetur, prolatandi Regni libidinem: quippe* Clodovevs *cauſas bellorum, ex intermi-natâ auiditate animi, finitima quæque tenere cupientis, plerumque accerſiuit, & omnem occaſionem promouendorum Imperij finium, quamuis iniuſtam, auidè ſemper arripuit.* Id quod etiam hodie Francis eſt familiare. Ceterùm Clodouei Regis crines in Baptiſmo fragranti Chriſmate perfuſos notat Remigius; ſed è cælo delapſum Chriſma non inſinuat.
Anno 530. Deceſſit è vitâ S. Remigius ante annum D. XXX. nam Flauius, eius poſt Romanum in Epiſcopatu ſucceſſor, Ar-
535. uernenſi Concilio ſubſcripſit anno D. XXXV.

CAPVT IV.

Sexto eodem ſæculo ſanctitate ac doctrinâ illuſtres Epiſcopi, Nicetius Treuirenſis, & Gregorius Turonenſis, Ampullam cæleſtem in Baptiſmo Clodouei non agnouère.

Sirmondus Tomo I. Conciliorum Galliæ. Sanctvs Nicetivs Treuirorum Epiſcopus in Epiſtolâ quâ Chlodoſuindam, Clodouei Magni ex Clotario Rege filio neptem, enixè hortatur, vt Alboïnum Longobardorum Regem, virum ſuum, è ſectâ Arij ad fidem Catholicam perducat: *Quid de Domino* Remigio, & *Domino* Medardo *Epiſcopis* (inquit) *quos tu credo vidiſti? Non poſſumus tanta exponere, quanta*

MIRABI-

MIRABILIA *per illos Deum* VIDEMVS *facere. Audisti ab auiâ tuâ Dominâ bonæ memoriæ* RODHILDI, *qualiter in Franciâ venerit* [B. Remigius] *quomodo Dominum* CHLODOVEVM *ad Legem Catholicam adduxerit; & cùm esset homo astutissimus, noluit acquiescere antequam vera agnosceret. Cùm ista, quæ suprà dixi, probata cognouit, humilis ad Domini* MARTINI *limina cecidit, &* BAPTIZARI *se sine morâ permisit.* Excessit è viuis, vt iam dixi, quàm tardissimè S. Remigius, anno D. XXX. Obijt S. Medardus anno D. LVI. de cuius miraculis post mortem editis extat Fortunati carmen. Beatus Nicetius, Treuirensis Archiepiscopus (ex Chronico MS. Anglosaxonico) mirâ sanctitate refulgebat anno D. LX. Ad Clodoswindam scripsit anno D. LXIII. Humana reliquit anno D. LXIV. Illa ergo mirabilia per SS. Remigium & Medardum à Deo facta, quæ videbat dum viueret S. Nicetius, edebantur post vtriusque obitum. Vnde patet Remigiana ad Clodouei Baptismum, antecedente sæculo celebratum, referri non posse.

Anno 530. 556. Lib. 2. An. 560. 563. 564.

S. Gregorius Turonensis Episcopus in Historiâ Francorum: REGINA *accersiri clàm S. Remigium iubet, deprecans vt* REGI *verbum salutis annunciaret: quem Sacerdos accersitum secretiùs cœpit instigare, vt Deum verum, factorem cœli & terræ crederet; idola negligeret, quæ neque sibi, neque alijs prodesse possunt. At ille ait: Libenter te Sanctissime Pater audiam; sed restat vnum, quòd populus qui me sequitur, non patitur relinquere Deos suos; sed vado, & loquor eis iuxta verbum tuum. Conueniens autem cum suis, priusquam ille loqueretur, præcurrente potentiâ Dei, omnis populus pariter adclamauit: Mortales Deos abigimus, pie Rex, & Deum, quem* REMIGIVS *prædicat immortalem, sequi parati sumus. Nuntiantur hæc Antistiti, qui gaudio magno repletus iussit* LAVACRVM *præparari: velis depictis adumbrantur plateæ, Ecclesiæ cortinis albentibus adornantur,* BAPTISTERIVM *com-*

Lib. 2. cap. 31.

 ponitur,

ponitur, BALSAMA *diffunduntur*, *micant flagrantes odore cerei*, *totumq́; templum baptisterij diuino re∫pergitur ab odore: talemq́, ibi gratiam adstantibus Deus tribuit*, *vt æstimarent ∫e paradisi odoribus conlocari*. REX *ergo prior propo∫uit ∫e à Pontifice* BAPTIZARI. *Procedit* NOVVS CONSTANTINVS *ad* LAVACRVM, *deleturus lepræ veteris morbum*, *∫ordente∫q́, maculas ge∫torum antiquorum recenti* LATICE *deleturus*. *Cui ingre∫∫o ad* BAPTISMVM *Sanctus Dei ∫ic in∫it ore facundo: Mitis depone colla* SICAMBER, *adora quod incendi∫ti*, *incende quod adora∫ti*. *Erat enim Sanctus* REMIGIVS *Epi∫copus egregiæ ∫cientiæ*, *& rhetoricis apprimè imbutus ∫tudijs*; *∫ed & ∫anctitate ita præclarus*, *vt* SILVESTRI *virtutibus æquaretur*. *E∫t enim* NVNC LIBER VITÆ EIVS, *qui eum narrat mortuum ∫u∫cita∫∫e*. *Igitur* REX *omnipotentem Deum in Trinitate confe∫∫us*, BAPTIZATVS EST *in nomine Patris*, *& Filij*, *& Spiritus ∫ancti*, *delibutu∫q́*, SACRO CHRISMATE *cum ∫ignaculo Crucis Chri∫ti*. *De exercitu verò eius baptizati ∫unt ampliùs tria millia*. *Baptizata e∫t & ∫oror eius* ALBOFLEDIS, *quæ non po∫t multum migrauit ad Dominum*.

S. Gregorius, antiquiſſimus & fideliſſimus Francorum Hiſtoricus, Turonenſem Cathedram iniuit anno Chri-
An. 572. ſti D. LXXII. Exceſſit è viuis anno D. XCVI. hoc eſt, iuſto
596. ſæculo poſt Clodouei Regis Baptiſmum. Memorat ille S. Remigium (ex libro eius Vitæ, quem viderat) mortuum
Cap. 79. ſuſcitaſſe; quod & repetit in libro de Gloriâ Confeſſorum. Refert prætereà, ante Vogladenſem pugnam, decimo ab vrbe Pictauorum milliario, fauorem Numinis ſingularia
Lib. 2. duo indulſiſſe Clodoueo. *Ille*, inquit, *cùm ad fluuium Vi-*
cap. 37.
An. 507. *gennam cùm exercitu adueni∫∫et*, *per quem locum tran∫ire deberet penitus ignorabat: intumuerat enim ab inundatione pluuiarum*. *Cumq́, illâ nocte Dominum deprecatus fui∫∫et*, *vt ei vadum*, *quo tran∫ire po∫∫et*, *dignaretur o∫tendere*; *manè facto Cerua miræ magnitudinis ante eos nutu Dei flumen ingredi-*

tur;

tur; illâque vadante, populus quà transire posset agnouit. Veniente autem Rege apud Pictauos, dum eminus in tentoriјs commorabatur, pharus ignea de basilicâ S. HILARII *egressa, visa est ei tanquam super se aduenire, scilicet, vt lumine Beati Confessoris adiutus* HILARII, *liberiùs hæreticas acies, contra quas sæpè idem Sacerdos pro fide conflixerat, debellaret.* Tertium verò admirandum sic refert: CHLODOVEVS *apud Burdegalensem vrbem hyemem agens, cunctos thesauros Alarici à Tolosâ auferens, Engolismam venit; cui Dominus tantam gratiam tribuit, vt in eius contemplatione muri sponte corruerent.*

Itaque Gregorius Turonensis, qui Christianæ apud Gallos religionis exordia, resque minutas, maximè Sacras ad suæ gentis gloriam spectantes accuratè prosecutus est; qui Clodouei Regis Baptismum, aliaque admiranda distinctè recensuit; de Ampullâ ad vngendum Clodoueum cælitus missâ ne verbum quidem. Ille, inquam, Gregorius,

Quem patris EGIDII *Domino manus alma sacrauit:* Fortun. lib. 5.

Ægidij nempe Remensis Archiepiscopi; cuius tempore Gregorium Turonensem Remos venisse notat Vincentius Bellouacensis. *Et ipse Gregorius Ægidij depositionem cùm scripserit*, inquit Hubertus Morus, *talia monumenta de vitâ S. Remigij ignorare non potuit.* Ille iterùm Gregorius, qui de sacræ lustrationis piscinâ apud Hispanos aliud admirandum ita descripsit: *Est & illud illustre miraculum de fontibus* HISPANIÆ, *quos Lusitania prouincia profert. Piscina namque est apud Osem campum antiquitus sculpta, & ex marmore vario, in modum crucis, miro composita opere; sed & Ædes magnæ claritatis ac celsitudinis desuper à Christianis constructa est. Igitur cùm dies sacer post curriculum anni decedentis aduenerit, quo Dominus, confuso proditore, mysticam discipulis præbuit cœnam, conueniunt in locum illum cum Pontifice ciues, iam odorem sacri præsentientes aromatis. Tunc*

Lib. 22. Speculi cap. 125.
Lib. 2. cap. 6.
Lib. 1. de Gloriâ martyrum cap. 24.

datâ oratione Sacerdos oſtia templi iubet ſimul muniri ſignaculis, aduentum virtutis Dominicæ præſtolantes. Die autem tertiâ (quod eſt Sabbathi) conuenientibus ad baptizandum populis, adueniens Epiſcopus cum ciuibus ſuis, inſpectis ſignaculis oſtia reſerat clauſa. Ac mirum dictu, piſcinam, quam reliquerant vacuam, reperiunt plenam, ſed ita cumulo altiore refertam, vt ſolet ſuper ora modiorum triticum aggregari: videaſq; huc illuc latices fluctuare, nec partem in aduerſam defluere. Tunc cum exorciſmo ſanctificato, conſperſo deſuper Chryſmate, omnis populus pro deuotione haurit, & vas plenum domi pro ſaluatione reportat, agros vineaſq; aſperſione ſaluberrimâ tutaturus. Et cùm exinde multitudo amphorarum ſine collecto numero hauriatur, nunquam tamen vel cumulum minuit; licet, vbi Infans primus intinctus fuerit, mox aqua reducitur: & baptizatis omnibus, lymphis in ſe reuerſis, vt initio produntur neſcio, ita & ſine clauduntur ignaro.

Lib. 10. cap. 29. 25. Aug. Gregorius idem Turonenſis de ſancto Aredio Lemouicenſi, Ephebo palatino Regis Theodeberti, iſthæc litteris conſignauit: *Cùm in huius ſtudij flagrantiâ cum Antiſtite memorato* [S. Nicetio Treuirenſi Epiſcopo] *degeret, tonſurato iam capite, quodam die pſallentibus Clericis in Eccleſiâ, deſcendit* COLVMBA *à camerâ, quæ leuiter volitans circa eum, reſedit ſuper caput eius, illud indicans, vt opinor, eum* SPIRITVS SANCTI *gratiâ iam repletum: quam cùm ille non ſine pudore conaretur abigere, hæc paulatim circumuolans, iterùm ſuper caput eius, aut ſupra ſcapulam reſidebat; quæ non modò ibi, ſed etiam cùm in cellulam Epiſcopi ingrederetur, iugiter comitabatur cum eo: quod per dies plurimos factum non ſine admiratione Epiſcopus intendebat.* Columbæ deſcenſum ex fornice in S. Aredium ſingulatim expreſſit Gregorius; de cæleſti tamen columbæ deuolatu in Baptiſmo Clodouei planè ſiluit; quod prodigium in libro de Vitâ S. Remigij, quem viderat, ſi deſcriptum fuiſſet, dubio procul tam illu-

ſtre

ftre miraculum filentio non inuoluiffet, qui res minimas perenni memoriæ confignauit.

Retulit denique Turonenfis apologum, quem Theobaldus Rex Auftrafiæ fibi ætate fuppar finxerat, *de ferpente, qui* AMPVLLAM *vino plenam ingreffus, quod intus habebatur auidus haufer at, vinoq́, inflatus exire per aditum, quo ingreffus fuerat, non valebat.* Sed de Ampullâ ad vngendum Regem Clodoueum cælitus mifsâ nullam fecit mentionem. Lib. 4. cap. 9. An. 550.

CAPVT V.

Auctoritates fæculi feptimi, octaui, & noni ineuntis, quibus de Ampullâ cælefti par filentium.

VITA S. Arnulphi Epifcopi & Confefforis: *Diuinitus accidit, quòd* CHLODOVEVS *Rex eatenus gentilis Chriftianitatis legem fufcepit, quem cum omni Francorum exercitu Sanctus* REMIGIVS *baptizauit, & baptizato Sanctum* ARNVLPHVM *prece, quâ potuit, commendauit, ac vt plurimum coleret fuppliciter obfecrauit: qui in tantâ apud eum habitus eft honoris reuerentiâ, vt inter fuos domefticos præcipuam meruiffet familiaritatis gratiam. Hinc factum eft vt ei neptem fuam, nomine* SCHARIBERDAM, *traderet loco fponfæ & coniugis cum Comitatu Remenfi.* Chefne Tom. 1. pag. 533.

Anonymus, qui fcripfit gefta Dagoberti I. Regis, filij Clotharij Secundi: *Quartus ab* CHLODOVEO *(qui primus Regum Francorum ad cultum Dei docente Beato* REMIGIO *Remenfi Epifcopo conuerfus eft) Chlotarius, filius Chilperici, Regnum fortitus eft.* Cap. 1. Chefne Tomo 1. pag. 574.

Anonymus alter, qui gefta Regum Francorum litteris mandauit: *Erat autem Sanctus* * REMEDIVS *vir fapiens at-* Cap. 15. * al. REMIGIVS

que

que ſanctiſsimus, egregius Rhetoricus, præclarus in virtutibus, CÆCIS VISVM RESTITVENS, MORTVIS VITAM REPARANS, DÆMONIA EIICIENS. *Igitur* REX *omnipotentem Deum in Trinitate confeſſus* BAPTIZATVS *eſt in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; delibutuſq;* SACRO CHRISMATE *cum ſigno Sanctæ Crucis Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Scriptor iſte Francorum geſta partim ex Hiſtoriâ Gregorij Turonenſis, cuius nomen vetuſtiſſimi Codices proferunt, partim aliunde deſumpſit, & ad Theodoricum Regem perduxit, hoc eſt, ad annum DCC. XX. Is verò patrata per S. Remigium miracula commemorat, affirmatque Clodoueum delibutum ſacro Chriſmate; ſed de Ampullâ cælitus allatâ omnino tacet, qui tamen Francorum gloriæ præter modum cupidus Troianam originem ipſis affinxit.

An. 720.

Cap. 21. Fredegarius Scholaſticus in Hiſtoriâ Francorum epitomatâ: *Cùm de prœlio memorato ſuperiùs* CHLODOVEVS *Remis fuiſſet reuerſus, etiam à Sancto* REMEDIO, *Remenſis vrbis Epiſcopo, adtrahente etiam* CHROTECHILDE *Reginâ,* BAPTISMI *gratiâ cum ſex millibus Francorum in Paſcha Domini conſecratus eſt.* Florebat Fredegarius anno Chriſti DCC. LII. quo Pipinus Breuis Rex eſt inauguratus: ille autem cùm nihil referat de Ampullæ miraculo, ficta eius narratio in lucem nondum prodierat: etſi aliam fabulam continenter ſubijciat Fredegarius: *Cùm à Sancto Remedio, in Albis, Euangelij lectio* CHLODOVEO *annunciaretur, qualiter Dominus Ieſus Chriſtus ad paſsionem venerat, dixit* CHLODOVEVS: *Si ego ibidem cum meis Francis fuiſſem, iniuriam eius vindicaſſem.* Atqui Clodoueus non fuit baptizatus in peruigilio Paſchæ, ſed Natiuitatis Domini; quo tempore Chriſti paſſio in Eccleſiâ prælegi non ſolet. Vnde Armacanum emendes, qui fictis illis Clodouei verbis fidem adhibuit.

An. 752.

Lib. 1. cap. 16.

Albinus Flaccus Alcuinus, in Vitâ S. Vedaſti Epiſcopi Atreba-

Atrebatensis, postquam narrauit S. Vedastum lumen cæco restituisse: REX *à viro Dei Euangelicis apprimè imbutus doctrinis, in hoc præsenti miraculo in fide fortiter confortatus, nil moratus in viâ, nil dubitans in fide, sed magnâ alacritate animi, magnâ festinatione itineris, sanctissimum Pontificem* REMIGIVM *videre properauit, vt illius sacratissimo ministerio,* SPIRITV SANCTO OPERANTE, *in remissionem peccatorum, & spem vitæ æternæ, Catholici* BAPTISMATIS *viuo ablueretur fonte*, &c. BAPTIZATVS *itaque* REX *cum Optimatibus suis & populo, qui diuinâ præueniente gratiâ* SALVTARIS LAVACRI *gaudebant suscipere Sacramenta, vtriusque, & victoriæ ex hostibus, & suæ salutis voti compos, ad sceptra Regni gubernanda reuersus est, sanctumq́;* VEDASTVM *beato Pontifici commendauit* REMIGIO. Alcuinus, Caroli Magni Imp. præceptor, qui anno DCC. XCIV. *sanctitate & doctrinâ clarus habebatur*, cæleſtis Ampullæ nullo pacto meminit; claro indicio missionem illam tempore Caroli Magni nondum fuisse fictam. Surius 6. Febr. Annales Fuldenses anno 794.

Rorico Monachus in Chronico: REX *omnipotentem Dominum in Trinitate confessus*, BAPTIZATVS *est à Sancto* REMIGIO *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti,* & SACRO CHRISMATE *delibutus cum signaculo Crucis videlicet Domini nostri Iesu Christi: baptizati sunt de exercitu illius ampliùs quàm tria millia. Baptizatæ sunt & sorores illius Albofledis & Landechildis, insuper totus Francorum populus.* Scripsit Rorico libros quatuor ab origine gentis Francorum vsque ad obitum Clodouei I. Regis, cuius gesta tribus postremis ex professo complexus est. Valesius illum facit ætate Gregorio Turonensi proximum: citat enim Rorico S. Gregorium Magnum, qui obijt anno DC.IV. eius tamen ætas certò sciri hactenus non potuit. Quia verò (fictâ Francorum à Troianis origine non prætermissâ) Ampullæ S. Remigio ad vngendum Clodoueum cælitus Lib. 2. fin. Lib. 5. An. 604.

missæ nullatenus meminit, colligi datur, illum Hincmari, qui primus miraculum illud protulit, tempora non attigisse, vel certè Ampullæ prodigio fidem non adhibuisse.

An. 811. Chronicum vetus MS. ad annum vsque DCCC. XI. perductum: *Hic* CHLODOVEVS, *ex Regibus Francorum primus Christianus, fuit baptizatus à sancto Remedio Episcopo Remensi. Baptizantur & sorores eius ipsâ die, & de populo eius ampliùs quàm tria millia in Pascha Domini.* Auctorem hunc Carolo Magno ætate parem fuisse, colligitur

An. 809. ex ijs quæ narrat ad annum DCCC. IX. *Amaroz Præfectus Cæsaraugustanæ Vrbis, qui & Oscam ceperat, cum omnibus quæ habebat, in deditionem* DOMNO NOSTRO *se venire promisit.*

Mirum profectò per tot sæcula Ampullæ miraculum, si certum fuisset, tot insignium Franciæ Scriptorum silentio obrutum; nec enim reperitur vnus à Clodoueo vsque ad Hincmarum, qui eius prodigij meminerit. Illud tamen sic asseuerat Vindex Gallicus, vt aliud, iam prolatum à

Lib. 6. Forcatulo commentum hoc addat, scilicet *Clodoueum Regem* COELESTE *illud* MVNVS *in vnctionem posterorum Regum Remis diligenter custodiri iussisse*: certè si tale quid edixisset Clodoueus Rex, eius iussis nequaquam obtemperatum fuisset, quandoquidem nullus Regum ex eius posteritate virili (quæ bis centenis & quinquaginta annis Regnum obtinuit) vnctione illâ delibutus inueniatur.

CAPVT

CAPVT VI.

Hincmarus Remensis sæculo dumtaxat nono iam inclinante de Ampullâ S. Remigio per columbam cælitus allatâ primus fecit mentionem: eius alij etiam errores notati in describendo Clodouei Baptismo.

ALBERICVS ad annum DCCC. XLV. *Hincmarus ordinatur Remensium Archiepiscopus: rexit Ecclesiam annis* XXXVII. *mensibus septem: fuerat enim Monachus S. Dionysij sub Abbate Hilduino.* Sigebertus ad annum DCCC. LIII. *Hincmarus Remorum Archiepiscopus in Franciâ claret, qui Vitam S. Remigij scripsit.* Hincmarus ipsemet in Vitâ S. Remigij: *Cùm verò peruenissent ad baptisterium, Clericus, qui Chrisma ferebat, à populo est interceptus, vt ad fontem venire nequiuerit. Sanctificato autem fonte, nutu diuino Chrisma defuit. Et quia propter populi pressuram vlli non patebat egressus vel ingressus Ecclesiæ, sanctus Pontifex, oculis ac manibus protensis in cælum, cœpit tacitè orare cum lacrymis. Et ecce subitò* COLVMBA *niue candidior attulit in rostro* AMPVLLAM *Chrismate sancto repletam, cuius odore mirifico super omnes odores, quos antè in Baptismo senserant, omnes qui aderant inæstimabili suauitate repleti sunt. Accipiente autem sancto Pontifice ipsam* AMPVLLVLAM, *species* COLVMBÆ *disparuit. De quo Chrysmate fudit Venerandus Episcopus in fontem sacratum. Viso autem Rex tanto* MIRACVLO, *abnegatis diaboli pompis & operibus eius, petijt se à sancto Pontifice baptizari*, &c. *Et sic post confessionem orthodoxæ fidei ad interrogationem sancti Pontificis, secundùm Ecclesiasticum morem*, BAPTIZATVS *est trinâ mersione, in nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et susceptus ab ipso Pontifice*

In Chron. anno 845.

In Chron. anno 853.

Apud Suriū 13. Ianuarij.

tifice de ſacro fonte, perunctus eſt ſacro Chryſmate cum ſigno ſanctæ Crucis Domini noſtri Ieſu Chriſti.

An. 869. Hincmarus idem in Capitulis, quæ publicè enunciauit Metis ciuitate, quando Carolus Caluus in Regno Lotharij coronatus eſt: *Sanctæ memoriæ pater ſuus* HLVDOWICVS *Pius, Imperator Auguſtus, ex progenie* HLVDOWICI (Clodoueum intelligit) *Regis Francorum inclyti, per Beati* REMIGII *Francorum Apoſtoli Catholicam prædicationem cum integrâ gente conuerſi, & cum tribus Francorum millibus, exceptis paruulis & mulieribus,* VIGILIA *ſancti* PASCHÆ IN REMENSI METROPOLI *baptizati, &* COELITVS SVMPTO CHRISMATE, *vnde adhuc habemus, peruncti, &* IN REGEM SACRATI, *exortus per Beatum Arnulfum, cuius carne idem* HLVDOWICVS *Pius Auguſtus originem duxit carnis, & à Stephano Papâ Romano, ante ſanctæ Dei Genitricis & ſemper Virginis* MARIÆ *altare, Remis in Imperatorem eſt conſecratus.*

Hincmarus S. Dionyſij in Franciâ Monachus ordinatus eſt Archiepiſcopus Remenſis in Synodo Beluacenſi anno DCCC. XLIV. obijt anno DCCC. LXXXII. ſic vt à Clodouei Baptiſmo, qui anno CD. XCVI. celebratus eſt, vſque ad Hincmari obitum, anni intercesserint omnino CCC. LXXXVI. Quia verò Hincmarus poſt tot annorum decurſum primus omnium Ampullæ miraculum protulit, cum illo, vt erroris anteſignano, agendum priùs, vt eo conuicto reliqui eum ſecuti ſimul victi cedant. Expedit ergo alios errores, quos in deſcribendo Clodouei Baptiſmo commiſit, in medium proferre.

An. 844. 882.

Primò, allucinatus eſt Hincmarus in Baptiſmi loco: ſcribit enim in Vitâ S. Remigij, & in Capitulis Caroli Calui, Clodoueum in Baſilicâ Sanctæ Mariæ, Remorum Metropoli, baptizatum. At contrà S. Nicetius Treuirorum Epiſcopus, in Epiſtolâ ad Clodoſwindam, Clodoueum

Vide ſuprà Cap. 4.

ueum in Ecclesiâ S. Martini Baptisma consecutum tradit his verbis: *Humilis ad Domini* MARTINI LIMINA *cecidit, & baptizari se sine morâ permisit.* Vnde vix credit Hadrianus Valesius, vir doctus & disertus, Nicetium hominem tantæ prudentiæ ac dignitatis, qui Clodoueum videre puer poterat, & scire vbi baptizatus fuerat, pro Beatæ Mariæ Basilicâ Martini Basilicam posuisse; neque dubitat quin *Limina Martini* vocauerit Nicetius Ecclesiam S. Martini apud Remos ad portam collaticiam, vel Basilicarem, cuius mentio fit in Remigij testamento quod Flodoardus edidit; vbi ablui voluisse Clodoueum non mirabitur, qui Martini nomen, ob signa & virtutes, summæ Gallis venerationi fuisse, votaque ei ab ipso Clodoueo ante Vogladense prælium nuncupata intelliget; nec non & Robertum fratrem Odonis, ac Lotharium, qui Durocortori Regnum inierunt, non in primariâ vrbis Ecclesiâ, sed in Basilicâ S. Remigij, Reges ab Episcopis Remensibus consecratos esse animaduertet. Lib. 6. Rerum Francic.

Secundò, aberrauit Hincmarus in tempore Baptismatis Clodouei Regis, quod ipse vult peractum in peruigilio Paschæ. Id quod omnino dissoluit S. Auitus Viennensis in Epistolâ, quâ Clodoueo Regi gratulatur de accepto Baptismo VIII. Cal. Ianuarias, cùm Christi Natalis nocturnâ peruigilatione celebrabatur. Vnde Sirmondus sic de Baptismo Clodouei: *Docet Auitus quod hactenus ignorabamus, in Vigiliâ Natalis Domini celebratum, non in Vigiliâ Paschæ, quod* HINCMARVS *Remensis* FALSO *sibi & rerum nostrarum Scriptoribus persuaserat.* Tum alio etiam loco: *De Clodouei Baptismo, quod* FALSO *ab Hincmaro litteris est proditum, nulla vnquam Hincmaro adstipulantium turba præstare potest vt verum sit.* Quamquam excusari potuisset Hincmarus, si nudè dixisset Clodoueum fuisse baptizatum *in Pascha Domini*; quod de Natali Christi acEpist. 13. cap. 14. quintâ cap. 17. & in Capitulis. Vide suprà Cap. 2. In Notis ad Auitum. De duobus Dionysijs cap. 4.

cipi poſſet, iuxta morem apud Hiſpanos receptum, qui quadruplex Paſcha in anno numerare ſolent; primum nempe Natiuitatis Domini; alterum Dominicæ Reſurrectionis; tertium S. Spiritus; quartumque Sanctorum omnium. Sed Hincmarus ſic omnino locutus eſt: *Die verò* In Vitâ S. Remigij. *paſsionis Domini, quem Paraſceuem vſus Eccleſiaſticus vocat, pridie antequàm Baptiſmi gratiam Rex & populus eius percepturi erant.*

In Capit. Caroli Calui. Tertiò, deceptus eſt Hincmarus vbi ſcripſit, *Clodoueum ſumpto cælitus Chryſmate inunctum fuiſſe, & in Regem ſacratum*; qui in Vitâ S. Remigij nudè notauit baptiſmalem vnctionem: *Suſceptus*, inquit, *ab ipſo Pontifice de ſacro fonte, perunctus eſt ſacro Chryſmate cum ſigno ſanctæ Crucis Do-* Lib. cit. *mini noſtri Ieſu Chriſti.* Sed Hincmarum, inquit Valeſius, ſua tempora ſuique decepêre mores, exiſtimantem ijſdem cæremonijs Merouingos Regnum inijſſe, quibus poſteri Fauche- tus in Pipino. Caroli Maioris-domus inierint; cùm PIPINVS omnium Franciæ Regum primus, imitatus Iudæorum atque Veſigothorum Reges, vt ſe ſacrà vnctione venerabiliorem auguſtioremque faceret, ſemel atque iterùm vngi voluerit; Anno 752. 754. Primò nempe per Bonifacium Archiepiſcopum Moguntinenſem in Sueſſionis ciuitate; ac deinde per Stephanum Papam in Eccleſiâ S. Dionyſij. Ante ætatem verò Hincmari ſolus Ludouicus Pius, ab eo ad Hugonem Francorum Reges non ampliùs tres, nimirum Carolus Ludouici Pij Pronepos, Robertus frater Odonis, & Lotharius, Durocortori Remorum Reges vncti ſunt & coronati. Sed Lib. 2. cap. 6 obijcit Marlotus litteras Ludouici Pij à Flodoardo relatas, Lib. 2. cap. 19. in quibus de Remenſi Metropoli S. Mariæ ſic verba facit: *In quâ, auctore Deo, & cooperante ſancto* REMIGIO, *gens noſtra Francorum, cum* ÆQVIVOCO *noſtro* REGE *eiuſdem gentis, ſacri fontis Baptiſmate ablui, ac ſeptiformis Spiritus ſancti gratiâ illuſtrari promeruit: ſed & ipſe* REX *nobiliſſimus*

mus ad Regiam poteſtatem PERVNGI *Dei clementiâ dignus inuentus fuit. Vbi etiam & nos Diuinâ dignatione per manus Domni Stephani Romani Summi Pontificis ad nomen & poteſtatem Imperialem coronari meruimus*. Atqui ſeu verum fit, ſeu fictum illud Ludouici Pij præceptum, rerum, quas narrando pronunciat, certam fidem non facit, quippe quæ maioris non ſunt auctoritatis, quàm qui fortè ſuggeſſerat Hincmarus. In paucis enim illis Ludouici Pij verbis falſa duo ſimul elucent ab ipſomet Hincmaro tradita, nempe *Clodoueum in Eccleſiâ S. Mariæ Remenſis baptizatum fuiſſe, & ad Regiam poteſtatem perunctum*; qui tamen ad S. Martini limina Baptiſmum recepit, S. Nicetio Treuirenſi teſte; & in quo dum baptizatus eſt, *Rege* NON NOVO *noui iubaris lumen effulgurauit*, vt loquitur S. Auitus Vienenſis Epiſcopus. Claudius Fauchetus clarè: *Etſi Clodoueus primus vnctus eſt per S. Remigium, certum eſt id in Baptiſmo factum, quodq́, iam antè Rex habebatur à Celtis & Belgis.* In Pipino Rege.

Quartò falſus eſt Hincmarus, dum in Vitâ S. Remigij, & bis in Opuſculis, produxit Epiſtolam Hormiſdæ Papæ, per quam *Remigio committit vices ſuas per* OMNE REGNVM *dilecti & ſpiritualis filij ſui* LVDOVICI, *quem nuper adminiculante ſupernâ gratiâ, pluribus & Apoſtolorum temporibus æquiparandis ſignorum miraculis prædicationem ſalutiferam comitantibus, cum gente integrâ conuerterat, & ſacri dono Baptiſmatis conſecrarat*. Illam enim Epiſtolam (quam vt legitimam laudauit deceptus Armacanus) characteres temporum falſam & commentitiam demonſtrant. *Hormiſda* namque anno IV. poſt Clodouei obitum in locum Symmachi *Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus eſt ordinatus*, *Anthemio & Florentio Coſſ.* hoc eſt, anno Chriſti D. XV. Clodoueus autem è viuis exceſſerat anno D. XI. qui eſt epocha ſucceſſionis filiorum eius. Vnde luculenter patet, Hor-

Opuſc. 33. cap. 16. & Opuſc. 44. cap. 11.

Lib. 1. cap. 11.

Marcellinus in Chron.

An. 515.

511.

miſdam

miſdam non potuiſſe vices ſuas Remigio committere in Regno Ludouici, ſiue Clodouei, qui vitam cum morte pridem commutarat, dum Hormiſda Pontificatum iniuit. Sic vt fictæ Hormiſdæ Epiſtolæ aliam fabulam ſubiecerit
In Vitâ S.Remigij. Hincmarus; nempe, *Sancti Hormiſdæ Pontificatus tempore* LVDOVICVM *Regem glorioſum coronam auream cum gemmis, quæ Regnum appellari ſolet, Beato Petro, Sancto Remigio ſuggerente, direxiſſe.* Cùm enim mortuus eſt Clodoueus Rex, Hormiſda nondum Pontifex erat. *Nulla res poten-*
Anno 853. num. 57. *tior eſt*, inquit Baronius, *ad redarguendos errores & falſitates, ipsâ temporis ratione.*

Verùm enim verò aliàs quoque in rebus hiſtoricis in-
In Vitâ eâdem. conſideratè verſatus eſt Hincmarus; & primùm quidem in Francorum gentis notandâ origine; quam Troianorum ſtirpe ſatam falsò credidit, ſecutus Auctorem de Geſtis Regum Francorum, & Fredegarium Scholaſticum, qui Francis decus illud primi arrogarunt, cuius in Gregorio Turonenſi nulla mentio.

In Indice adTom.1. Hincmari. Notat etiam ſagaciter Sirmondus, *Hincmarum errore lapſum de Proſpero, & Chronici eius termino.* ſcribit enim,
De Prædeſt.cap.3. *Proſperum vſque ad Juſtini tempora, & obitum Ioannis Papæ, & finem Conſulatus Symmachi & Boëtij, Chronicum compoſuiſſe*, hoc eſt, ad annum vſque D.XXII. cùm tamen germanum Proſperi Chronicum, quod ex M.ss. Iacobi Sir-
Tomo 1. Scriptor. Franciæ. mondi & Petri Franciſci Chifletij, fratris mei, Andreas Cheſneus edidit, deſinat in Conſulatu Valentiniani VIII. & Anthemij, hoc eſt, in anno CD.LV. à quo Marius Auenticenſis incipit.

Vide infrà Cap. 14. Allucinatus eſt etiam Hincmarus, dum Hilduini magiſtri ſui & Abbatis errorem ſecutus, Dionyſium Pariſienſem cum Areopagitâ confudit; idque apud Carolum Caluum Regem aſſerere & perſuadere conatus eſt. Hincmarus de-
An. 794. num. 41. nique obiurgatur à Baronio, quòd ſe declararit aduerſa-

rium

rium ſeptimæ Synodi Nicænæ, cultumque ſacrarum imaginum temerè & inconſultè improbarit; item & à Nicolao Papâ, quòd Benedicti III. PP. litteras corruperit; *Vt tot exemplis liqueat*, ait Sirmondus, *falli & fallere Hincmarum quàm procliue ſit.* In multis labi humana infirmitas eſt. An. 866. num. 57. In differt. de duobus Dionyſijs.

Poſt tot ergo Hincmari errores agnitos, non temerè colligi datur, illum falſis vulgi rumoribus adhærentem, litteris conſignaſſe, in Baptiſmo Clodouei Regis columbam (quam Plinius *in rebus magnis internuntiam* vocat) cælitus aduolaſſe, & Ampullam Chriſmatis in Remigij manibus depoſuiſſe; id quod viris ſanctis & antiquioribus, Auito Viennenſi, Nicetio Treuirenſi, Gregorio Turonenſi, & ipſi quoque Sacris operanti Remigio ignotum fuiſſe conſtat. *Non debemus credere* (inquit laudatus Plinius) *quæ fabuloſa tot ſæculis comperimus: nullum tam impudens mendacium eſt, vt teſte careat: neque alius fidei pronior lapſus, quàm vbi falſæ rei grauis auctor exiſtit.* Lib. 10. cap. 37. Lib. 8. cap. 22. lib. 5. cap. 1.

CAPVT VII.

Hincmari Remenſis parum efficax conciunculа ad perſuadendam cæleſtis Ampullæ miſſionem, quam beatus Ado Viennenſis, eius æqualis, ſilentio contempſit.

LAVRENTIVS Surius, qui S. Remigij Vitam ab Hincmaro deſcriptam nobis reliquit, fatetur ſe nonnulla, quæ nihil habebant hiſtoricum, & pleraque ex Patribus deſumpta erant, omittenda exiſtimaſſe, ne Tomi ſui moles nimiùm excreſceret. Id autem verum eſſe comperi ex MS. Bonifontis, in quo multa reperiuntur, quæ à Surio ſunt prætermiſſa, & eo loco maximè, quo refert Hincmarus, COLVMBAM *niue candidiorem attuliſſe in roſtro* AMPVLLAM *Chriſmate ſancto re-* 13. Ian. edit. 2.

 pletam,

pletam, quo Clodoueus Rex fuit inunctus. Poſt hæc enim quæ ſequuntur relata à Surio verba: *De miraculo, quod Dominus dignatus eſt oſtendere per columbæ ſpeciem in allatione Chriſmatis, ſicut & de alijs, rata eſt Catholicorum Patrum ſententia, quâ dicitur; Diuina operatio ſi ratione comprehenditur, non eſt admirabilis; nec fides habet meritum, cui*
Cap. 38. *humana ratio præbet experimentum*. Iſthæc à Surio neglecta in MS. Bonifontis leguntur conſequenter: *Legimus ſanctum Spiritum in ſpecie columbæ, non autem in naturâ columbæ, ſuper Dominum, quando baptizabatur, apparuiſſe; quia ipſa columba in quâ apparuit, vel ille flatus, & ignis, in quo ſuper Apoſtolos deſcendit, non fuit aſſumpta à ſancto Spiritu in vnam perſonam diuinitatis ſuæ, ſicut aſſumpta eſt in Filio Dei ex Virgine Mariâ humanitas in ſuæ Deitatis perſonam. Neque enim columbam beatificauit Spiritus, vel illum flatum, vel illum ignem, ſibiq; & perſonæ ſuæ in vnitatem habitumq; coniunxit æternum: ſed apparuerunt iſta ſicut opportunè apparere debuerunt, creaturâ ſeruiente creatori, & ad nutum eius qui incommutabiliter in ſeipſo permanet, ad eum ſignificandum & demonſtrandum, ſicut ſignificari & demonſtrari mortalibus oportebat, ad tempus oſtenſa ſunt. Sic etiam hoc miraculo demonſtrari voluit per ſpeciem columbæ, & Chriſma vnctionis, præſentiam ſuam adeſſe, quem illæ ſpecies deſignabant ad ædificationem fidei quondam infidelium, & in fide rudium mentium, meritis & orationibus ſerui ſui, vt adimpleretur quod ore veridico de credentibus in ſe dixerat Chriſtus Dominus Patri: Ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis. Et item alibi dixit: Qui in me credent, ſigna, quæ ego facio, & ipſi facient. Columba verò, in cuius ſpecie Spiritus ſanctus ſuper Dominum apparuit, corporale Chriſma non detulit; quoniam Chriſtus, à cuius ſancto nomine Chriſma nomen accepit, vnde vncti ſunt ſacerdotes, Reges, Prophetæ ac Martyres, & quique per adoptionis gratiam Filij Dei,*

&

& vocati sunt Christiani, genus electum, regale Sacerdotium, vnctus est oleo lætitiæ præ consortibus suis; id est, ipso Spiritu, qui in specie columbæ super illum apparuit, quo conceptus & natus est, & de quo ad Baptistam dictum est: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu sancto: quo, vt prædiximus, & ille est natus, &, secundùm traditionem ipsius baptizati, existunt renati. In quo solo Baptismate, quod in Catholicâ tantùm celebratur Ecclesiâ, fit remissio peccatorum per eum, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Materiali autem Chrismate, in vase materiali per columbam delato, quoniam signa infidelibus aliquoties dantur, carnalium oculis gratiam spiritualem demonstrare voluit Dominus; qui, cùm mundi crimina diluuio quondam expiarentur effuso, speciem futuri in Baptismate muneris, oliuæ ramum columbâ deferente monstrauit, & per Dauid vultus nostros exhilarandos, id est, mentes nostras gratiâ Spiritus sancti, quam designat spiritualis olei vnctio, quâ corporaliter vnguntur fideles, illustrandas præcinuit, vt certiùs crederent corporaliter viso miraculo quod auribus perceperant de fide, spirituali sermone; maximè autem in illâ horâ, quando Rex cum maximâ exercitus sui parte, triùm videlicet, vt prædiximus, millium virorum, exceptis paruulis & mulieribus, baptizandus erat, ad instar gratiæ Apostolico culmini datæ, quando Beatus Petrus tria millia virorum credentium baptizari fecit. De consecratione autem cælitus dati Chrismatis nemo fidelium dubitare potest, qui Apostolum intelligenter audit loquentem, quoniam Patres nostri baptizati sunt nube sancti Spiritus, & Mari rubro signante diuinum Baptisma, quod nunc in sanctâ Ecclesiâ celebratur, purpureo Christi sanguine consecratum, & omnes eamdem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eamdem escam spiritualem biberunt. Bibebant autem de spirituali consequente eos petrâ. Petra autem erat Christus, qui

nos perſequitur per eremum huius ſæculi in his ſacroſanctis ſuis myſterijs, dum perenni ſanguinis ſui riuo, qui vnà cum aquâ de latere eius in Cruce manauit, quotidie nos à peccatis redimit & emundat, & ſpiritualia nobis dona infundit, quibuſq; tota ſancta Eccleſia lauacro rigatur & poculo. Quæ ſacroſancta myſteria, ſed & ſacrum Chriſma, ſicut Dominus Sacerdotum ſuorum miniſterio ad inuocationem ſui nominis in Eccleſiâ conſecrat; ita & illud ad ſanctificandos in Baptiſmate credentes, & æternæ vitæ participes efficiendos, virtutis ſuæ gratiâ conſecratum largiri dignatus eſt eodem Spiritu ſancto ſuo, quem idem Chriſma ſignabat. Quia verò non tunc primùm vel ſolùm ſuper hos neophytos credentes corporalis ſpecies columbæ apparuit, legimus in Vitâ B. Baſilij à ſancto Amphilochio, Iconij Epiſcopo, inter viros præcipuos & Scriptores Catholicos nominatiſſimo dictata, quia baptizato eo in Iordane flumine, venit ſpecies columbæ cum fulgore ignis ſuper eum: ſed & in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, in electione Beati Fabiani Papæ Romani, verùm & in electione ſancti Euurtij, Aurelianenſis Epiſcopi, in verâ Hiſtoriâ inuenimus, ſpeciem columbæ propter quorumdam dubitationem apparuiſſe, & in conſecratione panis cæleſtis, cùm de more Sacerdotali eleuatis manibus tertiò panem offerret præfatus Antiſtes, candidam velut nubem apparuiſſe, & manum, quæ digitis porrectis oblata ſacrificia tertiò cum Sacerdote benedixit. In præfatâ etiam Vitâ S. Baſilij legimus, columbæ figuram auro factam cum Chriſti corpore ab eo ſuper altare penſam, & in exaltatione ſancti Panis ternum eius motum aſpiciendo, præſtolari ſolitum fore, quo ſancti Spiritus aduentum in Sacramenta cognoſceret. Sed & inter celebranda diuina Myſteria ſanctum Spiritum in ſpecie ignis deſcendiſſe ſupra altare, & ſupra Anaſthaſium Preſbiterum, qui, eo iubente, coram ipſo ſacra Myſteria celebrabat. Et dum Sacramenta offerret beatus Martinus, globus igneus apparuiſſe legitur ſuper caput eius. Certum itaque

habet

habet fides credentium, quia quod visibiliter in quorumdam seruorum suorum ministrationibus Dominus certis pro causis ad fidei nostræ confirmationem dignatus est ostendere, hoc inuisibiliter effusione sancti sui Spiritus in Sacramenta corporis & sanguinis sui sine cunctatione aliquâ exhibet, quotiescumque iuxta illius traditionem Sacerdotes eius panem & calycem aquæ mixtum (quia sanguis & aqua de latere illius in cruce manauit, quibus sancta Ecclesia lauacro rigatur & poculo) Patri per eum offerunt verbis eius, & cruce ipsius, in carnem eius & sanguinem consecrantes immolant. Quis enim fidelium dubium habere possit, ipsâ immolationis horâ ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo IESV CHRISTI *mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus iungi, vnum quoddam ex visibilibus & inuisibilibus fieri. Hæc namque singulariter victima ab æterno interitu animam saluat, quæ illam nobis mortem Vnigeniti per mysterium reparat; qui licet surgens à mortuis iam non moritur, & mors ei vltrà non dominabitur, tamen in seipso immortaliter atque incorruptibiliter viuens, pro nobis iterùm in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur, eius sanguis non in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis sacrificium, quod pro absolutione nostrâ Passionem Vnigeniti Filij semper imitatur; nam quoties ei hostiam suæ Passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram Passionem illius reparamus. Sed inter hæc sciendum est, quia munus non accipitur, nisi antè discordia ab animo pellatur, dicente Veritate: Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Quâ in re pensandum est, cùm omnis culpa munere soluatur, quàm grauis est culpa discordiæ, pro quâ*

 nec

nec munus accipitur. Debemus itaque ad proximum, quamuis longè positum, longeq́ disiunctum, mente ire, eiq́ animum subdere humiliter, illum ac beneuolentiâ placare; & scilicet conditor noster, dum tale placitum nostræ mentis aspexerit, à peccato nos soluit, quia munus cum lacrymis & benignitate mentis oblatum pro culpâ sumit. Multi denique de Francorum exercitu necdum ad fidem conuersi, cum Regis parente Raganario vltra Sommam fluuium aliquandiu deguerunt, donec Christi gratiâ cooperante gloriosis potitus victorijs, eumdem Raganarium flagitijs turpitudinum inseruientem, vinctum à Francis sibi traditum, Rex Ludouicus occidit, & omnem Francorum populum per Beatum Remigium ad fidem conuerti & baptizari obtinuit. Huc vsque MS. Bonifontis; in quo sequitur vt in Surio: *Baptizatus autem Rex cum gente integrâ*, &c.

Hincmarus itaque, qui debebat idoneos testes adhibere, & proferre Auctores Clodoueo Regi tempore pares, vel saltem suppares, ad faciendam fidem serotinæ narrationi suæ de Ampullæ cælestis missione; ipse concionatur, diuagatur, & Theologiæ Magistrum diffusè agit; vt nempe doceat Spiritum sanctum aliàs non semel in columbæ specie mortalibus apparuisse; quod non est probare, id reuerà contigisse in Clodouei Regis Baptismo. Affirmat ergo Hincmarus, non confirmat, cuius partium erat probare quæ volebat credi; non enim eius fiduciâ, sed momentis testimoniorum viri docti persuadentur; neque animo securo de Ampullâ doceri possunt ab illo, qui scripsit Vitam S. Remigij annis ad minimum CCC. LX. post Baptisma Colodouei Regis; neque ab eo pro legitimâ traditione accipere quod ante ipsum fabula fuit.

SERIES ARCHIEPISCOPORVM REMENSIVM À S. REMIGIO VSQVE AD HINCMARVM.

1. SANCTVS REMIGIVS Clodoueum I. Regem Baptiſmo ſacro inaugurauit anno 496.
2. B. ROMANVS, primus Abbas Mentiniacenſis, deinde Remenſis Archiepiſcopus.
3. FLAVIVS ſubſcripſit Concilio Auernenſi anno 535. obijt 572.
4. MAPINVS, cui Suauegotha Regina multùm fauit: obijt 571.
5. EGIDIVS, Iuſtiniani Imp. affinis, Childeberti Regis ad varios Principes Legatus, 592.
6. ROMVLFVS, filius Ducis Lupi, frater Ioannis Ducis: obijt 599.
7. S. SONACIVS Synodum celebrauit 40. Epiſcoporum: obijt 643.
8. LEVDEGISILVS, Attilæ Laudunenſis Epiſcopi frater: obijt 647.
9. ANGELBERTVS filius Egæ, Maioris palatij: obijt 651.
10. LANDO, frater Principis Francorũ Erchenoaldi: ob. 662. Coluenerius ex Demochare, & alijs.
11. S. NIVARDVS, filius Principis Eumæ: ſororem eius Childem Childericus Rex vxorem duxit: obijt 680.
12. S. REOLVS, anteà Comes, cuius vxor fuerat filia Regis Childerici: obijt 696.
13. S. RIGOBERTVS, Comes, patruelis S. Reoli, à Carolo Martello pulſus anno 723.
14. S. ABEL, inſtante S. Bonifacio Moguntinenſi electus anno 750.
15. TILPINVS, Caroli Magni Imperatoris familiaris, electus anno 759. obijt 811.
16. WLFARIVS, ante Epiſcopatum Comes per totam Campaniam: obijt anno 822.
17. EBO ad prædicandum Danis miſſus: obijt anno 854.
18. HINCMARVS Ampullæ cæleſtis miraculum primus protulit, ordinatus anno 844. obijt 882.

S. Remigius, qui Clodoueum Regem aquis tinxit luſtralibus, & ſexdecim ordine ſucceſſores eius Remorum Archiepiſcopi, clari natalibus, doctrinâ illuſtres, & ſanctitate conſpicui, de Ampullæ miraculo ad poſteros nihil tranſmisêre; primuſque poſt illos omnes Hincmarus abſque teſtimonijs illud protulit. Res magnæ, prodigiales, cæleſtes,

cæleſtes, palamque à multis conſpectæ, tanto temporis interuallo nec latere, nec ignorari, nec ſepultæ ſilentio iacere poſſunt.

Ætate 6. Ado Viennenſis Archiepiſcopus in Chronico: *Clotildem poſteà vxorem Rex* CHLODOVEVS *accepit, cuius induſtriâ, orationibus ac monitionibus, Deo inſpirante, idem Chriſtianus cum populo ſuo factus eſt.* Tum inferiùs: CHLODOVEVS *Rex poſt victoriam Alamannorum,* XV. *anno Regni ſui credens*
1.Octobr. *baptizatur.* In Martyrologio: *Rhemis ciuitate, ſancti* REMIGII *Epiſcopi & Confeſſoris, viri præclariſſimæ virtutis ac ſanctitatis. Hic gentem Francorum idolorum culturis deditam conuertit ad Chriſtum,* REGE *ipſorum fonte Baptiſmatis &*
Martyrol. Rom. 16. Dec. *Sacramentis fidei priùs initiato.* Grauiſſimus ſcriptor in Sanctorum canonem relatus, qui viuente Hincmaro floruit
An. 879. in Galliâ, & Chronicum ſuum abſoluit anno DCCC.LXXIX. de Ampullâ ad vngendum Regem Clodoueum cælitus allatâ nullam facit mentionem: quod profectò tantæ rei ſilentium fictitiam arguit cæleſtis Ampullæ miſſionem, ab Hincmaro eius æquali traditam.

In Chron. Regino Prumienſis: CLODOVEVS *Rex Francorum, qui Gallias regnauit* XXX. *annis, Siagrium Patricium interfecit; Cundibaldum Regem Burgundiâ expulit; Alemannos tributarios fecit: anno* XII. *Regni ſui à ſancto* REMIGIO *Remorum Epiſcopo vnà cum Francis baptizatur. Clodoueus Rex cum Alarico Rege Gothorum in Aquitaniâ iuxta Pictauos confligit, eumq; Regno & vitâ priuat. Amalricus, filius Alarici, in Hiſpaniâ Regnum paternum obtinuit. Anaſtaſius Imperator Clodoueo* DONA REGIA *mittit. Clodoueus Reginarium propinquum atque conſortem Regni interficit.* Florebat Regino circa finem ſæculi noni: definit
Anno 908. eius Chronicum anno CM. VIII. Memorat ille DONA REGIA Clodoueo Regi ab Anaſtaſio Imperatore miſſa; CÆLESTE autem Ampullæ MVNVS non agnouit, qui

inter Doctores Germaniæ & Galliæ sui temporis facilè obtinebat principatum.

CAPVT VIII.

Testimonia sæculi decimi, quo de Ampulla cælestis traditione, modò per columbam, modò per Angelum mentio fit, dubitationis plena.

FLODOARDVS Presbyter Remensis: *Vbi verò ad præparatum baptisterij peruentum est locum, Clericus Chrismа ferens à populo interceptus, ad fontem pertingere penitus est impeditus. Sanctificato denique fonte, nutu diuino Chrisma defuit. Sanctus autem Pontifex oculis ad cœlum porrectis tacitè* TRADITVR *orasse cum lacrymis: & ecce subitò* COLVMBA, *ceu nix aduolat* CANDIDA, *rostro deferens* AMPVLLAM, *cælestis doni Chrismate repletam: cuius odoris mirabili respersi nectare, inæstimabili, qui aderant, super omnia, quibus anteà delectati fuerant, replentur suauitate. Acceptâ itaque S. Præsul* AMPVLLA, *postquam Chrismate fontem conspersit, species mox columbæ disparuit. Rex autem tantæ gratiæ conspecto miraculo lætus, actutum diaboli pompis & operibus abnegans, à reuerendo se petit Pontifice baptizari.* Historia Ecclesiæ Remensis Flodoardi definit anno CM.XLVIII. in eâ autem dum S. Remigium, ob defectum Chrismatis, tacitè orantem introducit, ipsissima pænè Hincmari verba vsurpans, cautè addit verbum TRADITVR, hoc est, *fertur, dicitur, existimatur*; ac si narrationem Hincmari ad fluxam vulgi fidem referret. Lib. 1. Hist. Rem. cap. 13. An. 948.

Aimoïnus Floriacensis Monachus in Historiâ Francorum: *Quòd verò grata acceptabilisq; Deo* CLODOVEI *Regis fides fuit, ostensum declarauit miraculum. Nam cùm fortè qui Chrisma ferebat interclusus à populo deesset, ecce subitò non* Lib. 1. cap. 16.

 alius,

alius, ſine dubio, *quàm* SANCTVS *apparuit* SPIRITVS *in* COLVMBÆ *viſibili figuratus ſpecie, qui rutilanti roſtro ſanctum deferens Chriſma, inter manus depoſuit Sacerdotis, vndas fontis ſanctificantis. Fit gaudium & exultatio: baptizantur multi de populo: Deo laudes, Deo gratiæ acclamantur, & gaudens Rex ab Eccleſiâ ad propria reuertitur.* Sub Abbone Floriacenſi Abbate, cui Opus ſuum dicauit, hæc ſcribebat Aimoïnus circa annum CM. XCVI. quinis planè à Clodouei Baptiſmo ſæculis. Ille autem re non expreſsâ, præuiam Hincmari narrationem non ſecutus eſt modò, ſed adauxit. Auctor deinde Chronici Dionyſiani, Antoninus Florentinus, Robertus Guaguinus, alijque recentiores, verba Aimoïni eadem vel vſurparunt, vel ex Latino Gallicè verterunt. *Inter cætera mortalitatis incommoda* (inquit Philoſophus) *& hoc eſt, caligo mentium; nec tantùm neceſſitas errandi, ſed errorum amor.*

An. 996.

Lib. 2. de Irâ cap. 9.

Aſſo Deruenſis Abbas in paſſione S. Bercharij Abbatis Altiuillarenſis, de Clodoueo I. Rege: *Quem*, inquit, *beatus Remigius Apoſtolicâ auctoritate & præditus & probatus, doctrinâ & virtutibus magnificus, cum ſuo exercitu, vt in Geſtis eius legitur*, ANGELICO MINISTERIO, *ſacro Chriſmate aquæ regenerantis illinierat*. Mirari ſubit Aimoïnum & Aſſonem, eiuſdem ſæculi Scriptores, tam variè locutos: ille namque Spiritum ſanctum in columbæ ſpecie facit Ampullæ vectorem, iſte Angelicum adhibet miniſterium. Vnde qui eos poſtmodum ſecuti ſunt, Ampullam modò à columbâ, modò ab Angelo allatam volunt, vt de rei veritate creuerit dubitatio. *Cùm tam variæ opiniones ſint, tamq; inter ſe diſſidentes*, inquit Cicero, *alterum fieri profectò poteſt, vt earum nulla; alterum certè non poteſt, vt plus vnâ vera ſit.*

Surius 16. Octob. cap. 9.

Lib. 1. de Naturâ Deorum.

CAPVT

CAPVT IX.

Auctoritates sæculi vndecimi, quo cælestis Ampullæ nulla reperitur mentio.

HERMANNVS Contractus: LVDOWICVS *Rex Francorum contra Alamannos pugnans, cùm exercitus eius periclitaretur, Deum cæli inuocans, & suam fidem Christo vouens, ipso iuuante Alamannos subiugauit.* LVDOWICVS *Rex Francorum, seu* CLODOVEVS, *instante* BRVODHILDE *coniuge suâ, à sancto* REMIGIO *Remensi Archiepiscopo fide Christi imbutus, cum gente suâ baptizatur.* Obijt Hermannus Augiæ maioris Cœnobita anno M.LIV. vir tam diuinæ legis quàm litterarum sæcularium peritus in paucis. In Chron. edit. Canisij. An. 495. An. 1054.

Baldericus Nouiomensis & Tornacensis Episcopus, in Chronico Cameracensi & Atrebatensi, de Sancto Vedasto: *Vir Domini gratias agens Deo, qui gentibus Regnum suum aperire dignatus est; cœpit Catholicæ fidei mysterium* REGI *adnuntiare; & Euangelicis assertionibus instructum duxit ad venerabilem virum Dei* REMIGIVM, *qui tunc temporis Remensis Ecclesiæ arcem tenebat, vir ex sapientiâ virtutibusq́; factus; cuius spiritualium virtutum insignia testatur gens Gallica per eum ad Christum conuersa,* &c. VEDASTVS *igitur festinantem ad* VITÆ FONTEM *deducebat* REGEM, *quo in itinere cuidam cæco ad se clamanti vir Dei lumen reddidit oculorum, non sine admiratione Palatinorum Procerum, imò etiam* REGIS, *quem præsentis exhibitio miraculi Christianæ fidei feruore accendit,* &c. BAPTIZATVS *itaque* REX *cum Optimatibus suis ad sceptra Regni regreditur.* Circa annum M. XC. Baldericus scribebat Chronicum suum; in quo affirmat *nihil dubium, nihil fictum positum esse.* Cùm ergo Ampullæ miraculum prætermiserit, non ambigo, quin illud pro apo- Lib. 1. cap. 6. & 7. An. 1090. In Præfat.

crypho habuerit, qui Ciuitatum Cameraci & Atrebati, Remorum Metropoli tunc subiectarum, Historiam texebat.

In gestis Episcop. Leod. cap. 29. Herigerus Abbas Lobiensis: *Post tandem cessante tantorum tumultu malorum, per viscera misericordiæ visitauit nos oriens ex alto, cùm beatus* REMIGIVS, *cœlitus ad hoc prædestinatus, & per repromissionem iam natus, factus est Remorum Archiepiscopus. Hic vir Dei gentem Francorum ad veri Dei cultum conuertit, & Regem* CLODOVEVM *baptizauit anno Domini quadringentesimo nonagesimo septimo.* Florebat Herigerus sub finem sæculi vndecimi; decessit

An. 1107. anno M. C. VII. Vocat ille S. Remigium *cœlitus prædestinatum*, sed Ampullæ cælitus ipsi demissæ non meminit.

An. 499. Sigebertus Gemblacensis anno CD. XCIX. LVDOWICVS *Rex Alemannis bello congreditur, ibiq; laborante exercitu, voto suscipiendi Christianismi se obligare cogitur, sicq; perempto Alemannorum Rege, & Alemanniâ sub tributum redactâ*, BAPTIZATVS *à* S. REMIGIO *Episcopo Remorum, exemplo & edicto suo perduxit ad fidem Christi populum Francorum.*

An. 509. *Anno* D. IX. LVDOWICVS *Rex signis diuini auxilij animatur ad bellandum: Turonis quippe transiens, equum suum Sancto* MARTINO *misit, quem centum solidis redemptum recipere non potuit; missis alijs centum solidis recepit, credens illum bonum esse in auxilio, qui tam carus esset in negotio. Insuper accepto victoriæ præsagio à Clericis cantantibus; Præcinxisti me virtute ad bellum;* ALARICO *VVisigothorum Regi congreditur, eoq; perempto, quidquid Galliarum VVisigothi possidebant, ad partes Francorum transtulit; & inuadens Tolosam sedem Regni Gothorum, vsque ad Pirenæos montes Regnum Francorum dilatauit. Fertur etiam muros Ecolismæ vrbis ante faciem eius corruisse.* Florebat Sigebertus exeunte sæculo vndecimo; excessit è viuis ineunte duodeci-

An. 1112. mo, anno nempe M. C. XII. refert ille aliquot signa diuini auxilij ostensa Clodoueo, Historiâ cælestis Ampullæ penitus

nitus omiſsâ. Narrat prætereà ad annum D.IV. quo Regni clauum tenebat Clodoueus iam Chriſtianus, *dum Deuterus Epiſcopus Arianus Barbam quemdam Conſtantinopoli* BAPTIZARET, *& malè diſtinguens Trinitatem diceret:* BAPTIZO *te Barba in nomine Patris, per Filium, in Spiritu ſancto, aquam diſparuiſſe.* Si ergo crediſiſſet Sigebertus Ampullam Chriſmatis S. Remigio cælitus miſſam in Clodouei Baptiſmo, rem adeò mirabilem dubio procul non ſuppreſſiſſet, qui in Metenſi vrbe, non valdè procul à Remenſi, bonam ætatis partem tranſegerat; qui viderat Vitam S. Remigij ab Hincmaro, Ampullæ cæleſtis primo præcone, ſcriptam, quippe quam indicat ad annum CM.LIII. qui denique legerat Flodoardi Remenſem Hiſtoriam, cuius claram fecit mentionem in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Quamuis omni ex parte videatur error inualeſcere ad tempus, ad finem tamen vſque non permanet.

An. 504.
In Chron.

CAPVT X.

Teſtimonia ſæculi duodecimi, quo iterùm Ampulla per Angelum traditur allata: Iuonis Epiſcopi Carnotenſis de illâ ſilentium & neglectus. Alia communis olei ficta cælitus miſſio.

IVO Carnotenſis Epiſcopus: CLODOVEVS, *poſt Childericum Rex Francorum ſextus, regnauit annis* XXX. *Hic primus Regum Francorum à beato* REMIGIO *baptizatus eſt cum populo ſuo.* Idem Iuo ſcripſit epiſtolam aduerſus querelas à Remenſibus Clericis emiſſas, propterea quòd Ludouicus ſextus Rex anno M.C.VI. non Remis, ſed Aurelianis inunctus fuerat. *Dicebant autem Remenſes,* inquit Sugerius S. Dionyſij Abbas, *primæ Regis coronæ primitias ad ius Remenſis Eccleſiæ*

In Chronico.
Epiſt. 189. edit. Iureti.
An. 1106.
In Hiſt. Lud. Groſſi cap. 13.

pertinere, & à primo Rege Francorum CLODOVEO, *quem baptizauit beatus* REMIGIVS, *hanc prærogatiuam illibatam & inconcussam pertinere.* Profectò si tunc Remenses iura sua ab Ampullâ cælesti desumpta proposuêre; illa, dum silentio pressit Sugerius, parui duxit; sed minoris adhuc Iuo Carnotensis, cuius hæc sunt verba: *Manifestum est, quòd Francorum Reges non omnes in Remensi Ecclesiâ, vel à Remensibus Archiepiscopis sunt consecrati; sed multi in multis aliis locis, & à multis alijs personis consecrati sunt: quæ omnia si retexerentur, & prolixam facerent orationem, & superfluam disputationem; cùm nullis scriptis vel exemplis probari possit, Remensem Archiepiscopum Francorum Regem extra Belgicam* VNXISSE, *aut coronasse. Cùm ergo hæc eadem potestas sit cuiusque Metropolitani in metropoli suâ, mirum videtur quare vnus in proprium ius ambiat vindicare, quod multorum constat esse commune; nisi fortè quis dicere audeat, maiorem vim* SACRAMENTORVM *esse apud alios, quàm apud alios; quod schismaticum esset, & vnitatem Ecclesiæ diuideret.* Consecrationem Regum notat Iuo Remis, & alijs etiam locis factam: deinde vim SACRAMENTORVM æqualem vbique statuit, hoc est, *sacrarum vnctionum*; quâ loquendi ratione vsus est Rodericus Toletanus de VVambâ Hispaniæ Rege: *Decreuit se à Regis nomine temperare, donec in maioris vrbis Ecclesia regiæ* VNCTIONIS *reciperet* SACRAMENTVM. Walsinghamus etiam, vbi narrat, cùm Archiepiscopus Cantuariensis iam vnxisset Regem Angliæ Richardum; Rexque ab illo petijsset, vt iterùm consecraretur vnguento, quod Virgo Deipara olim commisisse credebatur S. Thomæ Martyri Cantuariensi, idque ipsi recusasset Archiepiscopus; dixisse Regem, *se palàm agnoscere, non esse voluntatis diuinæ, vt* VNGERETVR *illo* VNGVENTO, *sed alteri deberi tam nobile* SACRAMENTVM.

In Epist. citatâ.

Lib. 3. cap. 1.

An. 1399.

Iuo denique cælestis Ampullæ ab Hincmaro dudum iactatæ

iactatæ nullam fecit mentionem, ſed poſt aliqua ſubiunxit: *Si verò priuilegijs nititur Remenſis Eccleſia, illa priuilegia apud nos nulla ſunt, quia nec in generalibus Concilijs, probis audientibus ſunt recitata, nec ad Eccleſias noſtras Epiſtolari maturitate directa; & vt manifeſtiùs dicamus, nulla nobis familiari vel publicâ relatione propalata. Illius ergo legis præuaricatores non ſumus, cuius auditores numquam fuimus: quæ tamen ſi audita eſſet, nihil nobis obeſſe deberet. Lex enim iuſta debet eſſe & poſſibilis, loco & tempore congruens. Iuſta ſi ſit, Deus ſcit. Nos autem interim nec vt iuſtam approbamus, nec vt iniuſtam condemnamus, quam adhuc ignoramus.* Vixit Iuo vſque ad annum M.C.XIV. An. 1114.

Chronicum Morigniacenſe de inauguratione Regis Ludouici VII. Remis peractâ per Innocentium II. Papam: Lib. 2. An. 1131. *Intrant Eccleſiam, puerum ad altare præſentant, &* OLEO, *quo ſanctus* REMIGIVS *per* ANGELICAM MANVM *ſibi præſentato* CLODOVEVM *Regem Francorum* IN CHRISTIANVM VNXERAT, *puerulum, decem annos plus minùs habentem, Dominus Papa conſecrauit.* Sugerius, Ludouico VI. Regi à Conſilijs, ſinceritate maiori ſolùm tradit, In Hiſtor. citatâ. *Ludouicum VII. puerum* SACRI OLEI VNCTIONE, *& coronæ Regni deportatione, in Regem fuiſſe ſublimatum.* Sed obſerua oleum, quod (Hincmaro tradente) Ampullâ contentum S. Remigio columba candida roſtro in manus dedit, quamque Spiritum ſanctum fuiſſe in columbæ viſibilis figuratum ſpecie ſcripſit Aimoïnus, illo loco *Angelicâ manu* à Sancto Remigio recipi. Et quia ab omni æuo in Eccleſiâ Dei picti ſunt Angeli humanâ formâ iuuenili, illis idcircò tribuit manus Auctor citati Chronici. Illa porrò fabuloſa diuerſitas eminet foras in ipſamet matrice Eccleſiâ Remenſi: nam in anaglypho, quod extat in decumano eius oſtio, S. Remigius manum attollit, vt accipiat Ampullam ſibi à columbâ oblatam. In eiuſdem verò ſummi templi Marlot lib. 2. cap. 1. Morus lib. 2. cap. 7.

templi faſtigio, pro indice ventorum, loco galli gallinacei, eſt Angelica ſpecies ad miraculi ampullaris fidem erecta. *Errore nihil eſt imbecillius, & ſuis capitur* PENNIS : *neque externâ pugnâ opus eſt, ſed à ſeipſo corrigitur.* Rigordus de Philippi II. Regis & Iſabellæ Hannoniæ, coniugis eius, coronatione in templo S. Dionyſij : *Intereà dum multa turba populi de circumpoſitis ciuitatibus, ſuburbijs, vicis & villis cum magno gaudio ad tantam ſolemnitatem videndam conueniſſent, vt viderent Regem cùm Reginâ diademate inſignitos, conflictum cum tumultu fecerunt; quidam miles de Officialibus Regis tenens virgam in manu ſuâ, cùm ad ſedandum tumultum populi virgam huc & illuc in incertum iaceret,* TRES LAMPADES, *ſuper capita ipſorum ante maius altare pendentes, ſubitò vno ictu fregit, &* OLEVM *illarum ſuper capita Regis & Reginæ, in ſignum plenitudinis donorum Spiritus ſancti,* COELITVS *miſſum,* MIRACVLOSE *emiſſum credimus, & ad dilatandam famam nominis ipſius, & gloriam in omnem terram circumquaque diffundendam.* Philippus II. Franciæ Rex iam inunctus fuerat Remis: hic verò poſtmodum perfunditur oleo communi, nec conſecrato, imò etiam caſu effuſo; quod tamen cælitus miſſum exiſtimat Rigordus, pari fide quâ Hincmarus Remigianum. *Huius Regis Philippi,* inquit Albericus, *actus magnifici ad laudem ſibi ſatis ſufficiunt, ſi fuerint ſimpliciter & veraciter enarrati; & ſtylum tantùm veridicum ſibi volunt, cùm ad ſui excellentiam nullo indigeant adminiculo falſitatis. Sæpè enim fit, vt Scriptor* (Rigordum tangit) *dum placere quærit, geſtorum ſeriem pane mendacij decoloret: quod in enarrandis tam præclari viri geſtis deuitandum cenſemus.* Subdit deinde: *Anno Regni* PHILIPPI *Magnanimi ſecundo, in Aſcenſione Domini, impoſuit ſibi iterùm* PHILIPPVS *Magnanimus coronam in Eccleſiâ beati Dionyſij; &* INVNCTA *fuit ibidem* ELIZABETH *venerabilis vxor eius, filia Comitis Balduini de Haina-*

Chryſoſt. Hom. 38. ad Col. 1.

An. 1181.

Ad annum 1179.

Ad annum 1181.

Hainaco, de Margaretâ procreata, sorore Comitis Philippi Flandrensis.

Otho Frisingensis Episcopus, qui hoc eodem sæculo Chronicum suum absoluit, anno nempe M. C. XLVI. sic An. 1146. de Clodouei Regis Baptismo, nullâ cælestis vnctionis commemoratione: *Hildericus vitâ decedens Clodoueo filio suo* Lib. 4. cap. 32. *Regnum dimisit. Hic est* CLODOVEVS, *qui à beato* REMIGIO *baptizatus, primus Francorum Regum Christianus fuit.*

CAPVT XI.

Sæculo decimo tertio Ampullæ miraculum, cum nouâ & æquè fictâ peristasi descriptum, atque ad Regum Franciæ prærogatiuam tractum. Alij eiusdem æui Scriptores cælestem vnctionem non attigêre.

ORDO ad consecrandum Regem, scriptus tempore Ludouici VIII. Regis: *Chrismate in altari super patenam consecratam præparato, debet Archiepiscopus sacrosanctam* AMPVLLAM *super altare aperire, & inde cum acu aureâ aliquantulùm* DE OLEO COELITVS MISSO *attrahere, & Chrismati parato diligentiùs immiscere, ad inungendum* REGEM, *qui* SOLVS, *inter vniuersos Reges terræ, hoc glorioso præfulget priuilegio, vt* OLEO COELITVS MISSO *inungatur.* Scriptus est hic Ordo à Remensibus ad Hincmari fabulam, & parte alterâ inauditâ, vti palàm fiet ex sequentibus, atque etiam explicatius. Cæremon. Francic. Tomo 1. pag. 13. An. 1223.

Guillelmus Britto, Monachus S. Dionysij, in Philippeide, vbi agit de Clodoueo primo Rege: Lib. 1.

——————————— Inter
Francorum Reges, qui primus credere Christo,
Et sacro meruit BAPTISMI *fonte renasci:*
Quem cum Euangelico conuersum dogmate Sanctus

REMIGIVS *ſancto chriſmare pararet oliuo;*
Ecce dolens inimicus homo, qui ſemper honori
Inuidet Eccleſiæ, FREGIT*, *fuditq́, liquorem;*
Vt ſua cui natura modos dat mille nocendi,
Hoc faceret facto REGEM *reſcindere votum,*
Aut ſaltem differre aliquas BAPTISMA *per horas,*
In tanto, ſi non in toto, offendere gaudens,
Vt meritum REGIS *motu quocumque minoret,*
Qui magis eſt animos quàm corpora lædere pronus.
Quo viſo, commota manus pagana, ſuorum
Hoc virtute Deûm conclamant eſſe patratum,
Nec REGEM *mutare vias debere priores,*
Quas vſque huc tenuit eius generatio tota:
Quod nec velle Deum res tam manifeſta doceret,
Qui ſanctum eſt paſſus OLEVM CVM VASE *perire,*
Ne REX *tactus eo,* CHRISTI *ſe lege ligaret.*
At ſacer ANTISTES *erecto lumine ſurſum*
Cum manibus, meruit ſacra per ſuplicamina ſacrum
COELITVS *emitti cum* SACRO VASE *liquorem,*
Ipſo Rege palàm, cunctiſq́, videntibus ipſum,
E COELO *miſſus quem detulit* ANGELVS *illi,*
Quo REX *ſacratus fuit idem* PRIMVS: *& omnes*
Poſt ipſum Reges Francorum ad ſceptra vocati,
Quando coronantur, oleo ſacrantur eodem.

* *ampullam*

Hîc rurſum teſtes diſcrepant, & diuerſa loquuntur. Hincmarus enim, & eius ſequaces tradunt, *Clericum, qui Chriſma adferebat, à populo impeditum ad fontem vſque peruenire non potuiſſe; atque adeò delatam ſubitò à columbâ Ampullam Chriſmate repletam, quo Clodoueus inunctus.* Quid autem Britto? aliâ nimirum periſtaſi narrat, fractâ Ampullâ & effuſo liquore, miſſum cælitus Angelum cum vaſe & oleo, quo Rex fuit ſacratus. Cùm falſi teſtes ſingulatim examinantur, ac poſtmodum

dum inter ſe committuntur, mendacij falſitas citò manifeſtatur.

Guilielmus Britto iterùm de Philippi II. Regis inauguratione: Lib. cit.

IAMQVE dies aderat cunctis optata, Nouembris
Quod caput eſt menſis, quæ cunctis ſanctificata
Iam dudum Sanctis, nunc longè ſanctior extat;
In quâ ſalutifero fulſit redimitus honore
Magnanimus ſacrò REX *delibutus* OLIVO,
Quo Deus, ANGELICIS MANIBVS, *virtute parato*
Diuinâ noſtris conceſſit Regibus vti,
Vt ſacrentur eo SOLI *ſpecialiter illi,*
Qui ſucceſſiuè Francorum ſceptra capeſſunt;
Quo maior noſtri patet EXCELLENTIA *Regni,*
DIGNIOR *vt verè* REX *noſter* REGE *ſit* OMNI,
Quem ſacrare ſuis Remorum Metropolites
Cum Conpræſulibus habet illo Chriſmate ſacro,
Hoc ad opus ſolum quod COELICA *fudit* OLIVA.
Hoc, & non alio, perfudit membra liquore
Carolidæ noſtri Guilielmus Præſul in vrbe
Remenſi, patrum ſeruato more ſuorum:
Impoſuitq́; ſacrum capiti diadema verendo,
Conniuente ſimul Cleri populiq́; fauore.
Tam ſpeciale decus Chriſti dignatio præſtat
Nobis, Francorum qui congaudemus honore:
Sic REGEM *noſtrum ſibi Rex cœleſtis amicat:*
Sic SVPEREXALTAT *terræ præ Regibus illum,*
Quem facit vt SOLVM *ſacra conſecret* VNCTIO COELI,
Vnguine cùm reliqui ſacrentur materiali.

Peractum eſt Philippi Auguſti ſacrum anno M. C. LXXIX. An. 1179.
ſed illud deſcripſit Britto circa annum dumtaxat M.CC.XXIV. 1224.
poſt mortem Philippi Regis. Ceterùm eiuſdem cum Brittone ætatis videtur fuiſſe ineptus Auctor Epitaphij, quod

non in antiquo lapide, ſed in tabulis ligneis, quibus Clodouei Regis ſepulchrum clauditur Pariſijs in S. Genoueſæ, ſic eſt inſcriptum: *Hic eſt Illuſtriſſimus Rex* LVDOVICVS, *qui &* CLODOVEVS *ante Baptiſmum dictus, Francorum Rex quintus, ſed verus Chriſtianus, qui ab Anaſtaſio Imperatore Conſul & Auguſtus eſt creatus. Hunc S.* REMIGIVS *baptizauit; & in Baptiſmate eius* ANGELVS AMPVLLAM *ſacri Chriſmatis detulit*, &c. Inſulsè diſtinguit nomina *Ludouici* & *Clodouei*, quæ ambo poſt baptizatum Clodoueum S. Remigius vſurpauit. Ad CLODOVEVM enim ſuperſtitem, & iam Chriſtianum dedit conſolatoriam de obitu Albofledis ſororis eius; & hortatoriam cùm ad bellum Gothicum ſe accingeret. Illum etiam iam defunctum in ſupremis tabulis vocauit HLVDOWICVM; quem alij LVDVINVM, CHLODOVECVM, CHLOTOVECVM, CHLODOVEVM, & CLODOVEVM; ſic vt omnia illa nomina vnum eumdemque Regem ſignent.

In Chron. Conradus Lichtenauius Abbas Vrſpergenſis: *Accepit* CLODOVEVS *vxorem puellam Chriſtianam, quæ cùm ei ſæpè Chriſtum prædicaret, illeq́ credere abnueret,* XV. *anno Regni ſui ſuſcipiens bellum contra Alemannos, cùm penè vinceretur, hortatu Aureliani ſe crediturum ſpopondit, ſi Dei adiutorio Alemannos vinceret; moxq́ & illos ſuperauit, & omnem terram eorum ſibi ſubiugauit; ac deinde per ſanctum* REMIGIVM *Remorum Epiſcopum inſtructus, cum omni gente ſuâ eſt bapti-*
An. 1229. *zatus*. Definit Conradi Chronicum anno M. CC. XXIX.

In Chron. Albericus Monachus trium Fontium: *Anno* CD. LXXXII.
an. 482. *Francorum Rex* CLODOVEVS *annis* XXX. *Anno* CD. XCVII.
497. *Rex* CLODOVEVS *baptizatus eſt à beato* REMIGIO. *An-*
500. *no* D. *Sanctus Remigius fecit primum Epiſcopum Genebau-*
508. *dum in Lauduno. Anno* D. VIII. *Rex* CLODOVEVS *vicit*
511. *Alaricum, & eius Regnum obtinuit. Anno* D. XI. *prima Syn-*
513. *odus Francorum, id eſt, Aurelianenſis. Anno* D. XIII. *obijt*

Rex Clodovevs, *& sepultus est Parisijs in Ecclesiâ Beati Petri, quæ modò dicitur ad Sanctam Genouefam.* Absoluit Chronicum suum Albericus anno M.CC.XLI. Laudat ille An. 1241.
Flodoardi Remensem Historiam ad annos D.LXXVII. 577.
& D.CC.XIX. vbi tamen egit de Baptismo Clodouei Regis; 719.
ea quæ Flodoardus de Ampullâ cælesti cum scrupulo animi retulerat, penitùs missa fecit, haud dubiè quòd illis fidem non adhiberet. Is quippe Monachus trium Fontium Ordinis Cistercienfis in Prouinciâ Remensi, admirandorum vbique studiosus, non prætermisit in eiusdem Campaniæ Gallicæ tractu hoc prodigium de ranis mutis: *Sanctus* Ad annum
Godo, *nepos Sancti VVandregisili, fundauit in Diocesi Trecensi primam Abbatiam de Oiâ; in cuius clausurâ vsque hodie* Ranæ *sunt* Mvtæ, *de mandato eiusdem Sancti & miraculo.* S. Godonis Monachi & Confessoris, S. Wandregesili nepotis, mentionem facit Saussayus, *in Trecensi territo-* 26. Maij.
rio, prope Sezanam; locumque in quem secessit, *Augiam* vocat, quem Albericus *Ojam*.

Matthæus Paris, Monachus Albanensis, in Anglicâ Hi- An. 1254.
storiâ, vbi describit Epulum Regale in maiori Regiâ templi Parisiensis: *Comederunt igitur sic ordinati: Dominus* Rex Francorvm, *qui* terrestrivm Rex Regvm *est, tum propter eius* coelestem invnctionem, *cùm propter sui* potentiam, *& militiæ eminentiam, in medio sedebat; & Dominus Rex Angliæ à dextris; & Dominus Rex Nauarræ à sinistris.* Deinde vbi recenset nomina Nobi- An. 1257.
lium Francorum: *Archiepiscopus Remensis, qui Regem Francorum* coelesti *consecrat* Chrismate *(quapropter Rex Francorum* Regvm *censetur* dignissimvs *) est omnium Franciæ Parium primus, & excellentissimus.* Obijt Matthæus Paris anno M.CC.LIX. postquam ex Francorum figmentis An. 1259.
hauserat cælestem illam Regum inunctionem, falsamque ab illâ & inanem Regum Franciæ prærogatiuam, vt sint Re-

Paſchal. lib. 10. Coron. cap. 12.

gum terreſtrium Reges. Vnus enim Deus immortalis Rex Regum eſt, & Dominus Dominantium: Vna eſt Dei Maieſtas, quæ nullo nec rerum, nec temporis, nec potentiæ ambitu clauditur; quæ immenſitate ambitus non ſolùm omnem hanc rerum vniuerſitatem, ſed & quidquid extra ipſam eſt, complectitur. Huius terreſtres ac perituræ Maieſtates dicuntur eſſe imagines, ſed tenuiſſimæ. Ab vno cæleſti diademate, quod circumplexum eſt caput ſummi Regnatoris, omnis Regum manat & ſalus, & dignitas: inibi eſt vera gloria, ibi ſplendor æternus, ibi Regnum perenne, ibi columen omnis felicitatis.

CAPVT XII.

Auctoritates ſæculi XIV. *quo tabellæ pictæ, quæ Baptiſmum Clodouei exprimunt, Ampullæ miraculum ob oculos non ponunt; neque illud ſæculo* XV. *Summi Pontifices probant. Nonnulla in tranſitu de Strumis.*

GVILIELMVS de Nangis, Monachus ſancti Dionyſij, in Chronico MS. quod ſeruatur Bruxellæ in Bibliothecâ Regiâ: *Le Roy* CLOVIS *ſe combatiſt aux Allemans, & eut moult à ſouffrir, & ſes gens auſsi. Lors luy ſouuient de l'amonneſtement de la Royne* CLOTILDE, *& leua les yeulx en haut au ciel, & diſt: Sire Dieux, que la Royne* CLOTILDE *aime & aoure, donnez moy victoire de mes ennemys, & ie croirai en votre nom, & ſerai deſoresmais voſtre ſeruant; & tous ceulx de mon Royaulme, qui croire ne vouldront, ſeront deſtruitz & occis. Quant le Roy* CLOVIS *ot ſa priere faicte, ſi feriſt à toute ſa gent entre ſes ennemys, comme preux & hardy, & fiſt tant par la vertu de* IESV CHRIST, *que les Allemans furent vaincuz & ſoubzmis à luy; dont il eut moult grant*

ioye.

ioye. Et dez lors crut le Roy CLOVIS *en nostre Seigneur, & se fit* BAPTIZER *luy, & toutes ses gens. Et les baptiza & enseigna la foy Chrestienne Saint* REMY *l'Archeuesque de Rains, qui de ce moult en fut ioyeux, & Saint* VAAST *aussi, qui depuis fut Euesque d'Arras.*

Chronicum suum perduxit Nangiacus ad principium decimi quarti sæculi: reliqua vsque ad annum M.CCC.LXXXVI. sunt aliorum Auctorum. De Ampullæ autem miraculo tacere amat, quia fidem illi non adhibebat. Nam & alibi Ludouicum IX. Regem Remis coronatum & INVNCTVM memorat, nullâ Ampullæ cælestis commemoratione. Sed quod maximè notandum, inter picturas elegantes, quibus illustratur Nangiaci Codex membraneus, Clodouei Baptismus in tabellâ cæruleâ viuis micat coloribus, S. Remigio aquam ipsi affundente. In alio etiam Regiæ eiusdem Bibliothecæ MS. codice, qui præfert titulum Chronici Monasterij S. Dionysij, desinitque anno M.CCC.XXIII. pictus est in areâ cyaneâ Sanctus Remigius Clodoüeum baptizans, tribus alijs adstantibus Episcopis, ad S. Auiti mentem, qui scripsit *adfuisse numerum adunatorum Pontificum, qui manu sancti ambitione seruitij membra regia vndis vitalibus confouerunt*. Sed in vtrâque imagine, quam hîc æri incisam damus, nulla conspicitur columba, neque Angelus, qui S. Remigio Ampullam porrigat; quod arguit, Nangiaci sæculo, non procul à nobis remoto, miraculo Ampullæ per Hincmarum tradito certam fidem defuisse; perperamque ab Huberto Moro scriptum; *Vbicumque sculpitur vel pingitur* CLODOVEI *Baptismus, vel* D. REMIGII *imago proponitur, id non fieri sine* AMPVLLÆ, *vel* ANGELI, *vel* COLVMBÆ *illam deferentis aliquâ similitudine.*

An. 1302.
1386.
An. 1226.
An. 1323.
Epist. 41.
Lib. 2. cap. 7.

BAPTISMVS CLODOVEI I. Regis.

Ex Chronico Dionysiano. *Ex Nangiaci Chronico.*





Lib. 6. Commét. An. 1429.

PIVS II. Papa de Caroli VII. Regis inauguratione: *Cùm prope Remos ad quadraginta fermè stadia peruenisset exercitus, magnoperè in ciuitate trepidatum est. Nihil Anglico tutum videri, nutare Optimates, plebis animos res nouas allicere. Fuerunt inter Anglicos, qui suaderent* SACRVM OLEVM, *quo Rex inungitur, aliò transferendum, ne perditâ ciuitate ritè coronari hostis posset.* OPINANTVR *Gallici* CANDIDAM *olim* COLVMBAM *è cœlo missam Beato* REMIGIO *eius vrbis Antistiti* LIQVOREM OLEI *attulisse, quo Reges inungerentur; idq; summâ religione custodiunt, neque imminui* PVTANT, *quamuis à* CLODOVEO *vsque in hæc tempora permulti Reges illo sint vsi; negantq; verum esse Regem, qui hoc oleo non sit delibutus. Ob eam causam, cùm de trans-*

transportando liquore sæpiùs Anglici consuluissent, diuinâ voluntate præpeditum propositum ARBITRANTVR. Subdit deinde post nonnulla: *Mos Franciæ Regibus est, die quæ coronationem sequitur, templum quoddam peregrinatione petere, cui sanctus *Marchon præsidet, atque ibi ægrotos curare.* MIRACVLVM *Galli* VVLGAVERVNT, *morbum quemdam humano in gutture nasci, qui solo Regis tactu, & arcanis quibusdam curetur verbis, idq; post coronationem in hoc templo fieri. Non est peregrinatus statutâ die nouus Rex: impedimento fuêre Burgundorum Legati, qui salutatum venerunt, & aliquid ad concordiam afferebant; quibus auditis, quartâ die peregrinatio facta est, in quâ de curatione morborum nihil satis compertum habeo, quamuis Gallici omnia illa* CREDANT *fieri miraculosè.*

* lege *Marculphus*

Nihil affirmat Summus Pontifex; quin imò ad vulgi opinionem omnia refert, dum vtitur verbis, *opinantur, putant, arbitrantur, credunt.* Quod verò ex fide vulgi adfert, sacrum AMPVLLÆ OLEVM non imminui, id non semel confutat Guilielmus Marlotus, magnus Prior Ecclesiæ S. Nicasij Remensis, vbi sic edisserit: *Liquor, qui Ampullâ continetur, non est omnino liquidus, sed tantillum exsiccatus, balsamo concreto similis: dum Reges consecrantur, per Archiepiscopum acu aureâ extractus miscetur sancto Chrismati, illudq; rubore tingit, vt referunt qui adfuêre Ludouici XIII. inaugurationi. Tertiâ parte iam est deminutus liquor, neque magis. Errauit enim Froissartus, qui in Caroli VI. Regis inunctione scripsit, Ampullam non imminui: decrescit enim portione, quæ ex illâ detrahitur.* Ex quibus præterea leuitatis arguitur P. Matthæus, qui scripsit, *Ampullam mortuo Rege vacuam esse, rursumq; repleri diuinitus ad noui Regis inunctionem.*

Lib. 2. cap. 3. Lib. 3. cap. 7.

Volum. 2. cap. 60.

In Lud. XI. lib. 10.

Strumarum curationem Hubertus Morus, Vindex Gallicus, & Marlotus referunt ad cæleftem Regum inunctionem,

Lib. 3. c. 5. Cap. 5. Lib. 4. cap. 17.

nem, extolluntque verba S. Thomæ Aquinatis in Opere de Regimine Principum ad Regem Cypri; ſed non eſſe legitimum D. Thomæ fœtum, pluribus oſtendit Robertus Cardinalis Bellarminus. De curatione illâ ſincerè Scipio Dupleix: *Ego nullum adhuc documentum, nullum veſtigium eius gratiæ in duabus primis Regum noſtrorum familijs vidi; nec veriſimile eſt, ſi eâ præditi fuiſſent, quin eius temporis Hiſtorici, in ſcribendis multis miraculis minoris momenti ſatis curioſi, prætérijſſent iſtud tam nobile & glorioſum familiæ Regum Franciæ.*

Lib. de Scriptor. Eccleſ.

In Lud. Nono.

Hiſtoria Laniceti Strumoſi, contactu Clodouei I. Regis perſanati, quam antiquioribus ignotam primus protulit Stephanus Forcatulus anno M. D. LXXIX. mera eſt fictio; quandoquidem vim illam curatricem Franci credant manaſſe à cæleſti vnctione Clodouei, quæ eſt fabularis.

Lib. 1. de Gallorum Imperio, an. 1579.

Notatu quoque dignum, quod de Henrico III. Rege, Valeſiorum vltimo, ſcriptum reliquit Hubertus Morus, *hominem ſibi dilectiſſimum & familiariſſimum, ſtrumarum morbo grauiter laborantem, ſæpiùs licet repetito contactu, ſanare tamen numquam potuiſſe:* additque Morus, *virtutem curandi Scrophas in illo Rege defeciſſe.*

Lib. 3. cap. 5.

Sixtus IV. Papa in Bullâ quam dedit Ludouico XI. Regi: *Nos feruentem ad Sedem prædictam Tuæ Celſitudinis deuotionem, & fidei ſinceritatem animo reuoluentes, & Tuis pijs deſiderijs ſatisfacere cupientes, Tibi, vt vaſa,* AMPVLLAS *nuncupata, in maiori Remenſi &* S. REMIGII *Remenſis Eccleſijs conſiſtentia, in quibus* VNCTIO, *quâ Reges Francorum in eorum coronatione inungi ſolent, exiſtit,* &c. *tenere, deferre, ac Te vnguentis prædictis, ſi Tibi viſum fuerit, inungi facere, liberè & licitè valeas, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium, de ſpeciali dono gratiæ indulgemus,* &c. *Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ* M. CD. LXXXIII. *nono Calendas Iulij, Pontificatus noſtri*

Marlot. lib. 2. cap. 13.

An. 1483.

anno

anno XII. Remenſi Ampullæ cæleſtem originem non adſcribit Summus Pontifex; nec etiam Philippus Cominæus æqualis Auctor, vbi de Ludouico XI. ægrotante ſic edifferit: *Illa, quæ in Remorum vrbe ſeruatur* S. AMPVLLA, *cùm ante id tempus non fuiſſet è loco ſubmota, in ipſius cubiculum tunc delata eſt. Statuerat enim eodem planè modo eâ inungi, quo vnctus fuerat cùm inaugurаretur. Plerique putabant, velle toti ſuo corpori vnguentum adhiberi; quod vix credi poteſt propter* AMPVLLÆ *exiguitatem & paucitatem materiæ, quæ in illâ conſeruatur.* Lib. 6.

Et tu, Vindex Gallice, impietatis reum vocas, qui commenta tua ſugillat? Veneror ego pias & antiquas Eccleſiæ traditiones, ſed ficticias atque erroribus implicitas refelli, imò etiam explodi publici iuris intereſt, & ipſius Eccleſiaſticæ auctoritatis, quam ad hoc neceſſariam rectè monet Baronius, vbi ait: *Auctoritas* ECCLESIÆ *neceſſariò eſt requirenda ad cognoſcenda ipſa* MIRACVLA, *ne fraus aliqua irrepſerit vel impoſturâ: atque ita iudicium diuinorum operum* ECCLESIÆ *debeat* IVDICIO *ſubiacere, ſecundùm illud Apoſtoli*: SPIRITVS PROPHETARVM PROPHETIS SVBIECTI SVNT. *& illud Ioannis*: PROBATE SPIRITVS SI EX DEO SINT. *Quod* IVDICIVM ECCLESIÆ *in eius* VISIBILI CAPITE *in primis reſidet, cuius in eiuſmodi examinatione præuia ſit exſpectanda ſententia.*

Cap. 2.

An. 1173. num. 4.

Ad Corinth. 1. cap. 14.

Epiſt. 1. cap. 4.

CAPVT XIII.

Magni nominis viri, sæculis proximè præteritis, Ampullare Francorum decus in dubium vocarunt. Soluuntur obiectiones Vindicis Gallici. Ampullæ Remensis materia cælestis non est, neque forma.

Lib. 2. de Vitâ solit. cap. 13.

FRANCISCVS Petrarcha, Florentinus, Archidiaconus Parmensis, & Canonicus Patauinus: *Sanctus* REMIGIVS *Francorum gentem & Regem ad Christi fidem primus conuertit, & cælitus,* VT AIVNT, *misso Chrismate Regem vnxit.*

Lib. 3. Geogr.

Raphaël Volaterranus, magnæ vir eruditionis, de Rege Clodoueo: *Accersito* REMIGIO *Præsule Rhemensi, primus Regum Francorum, vnà cum tribus millibus ex populo, sacro Fonte abluitur; quo tempore, diuino miraculo, missa cælitus* AMPVLLA *per columbam* DICITVR, *vbi Chrisma, quo est oblinitus, fuerat.*

Lib. 1.

Michaël Ritius, Neapolitanus, Ludouici XII. Franciæ Regis Consiliarius, in Tractatu de Regibus Francorum: CLODOVEVS *Germanos ancipiti prœlio superauit, in vxoris religionem concessit, ac à* REMIGIO *Remensi Pontifice ex aquâ lustratus,* OLEO, *quod à columbâ* COELITVS *allatum* RVMOR EST, *vngitur.* Illa verba, *vt aiunt, dicitur, rumor est*, popularem fidem arguunt, non certam rei gestæ auctoritatem.

Lib. 1. Histor. Franc.

Paulus Æmilius Veronensis, Canonicus Parisiensis, qui obijt anno M. D. XXIX. *Clodoueus omni fastu deposito, in humilitatemq́ priuati hominis descendens, se purificandum abluendumq́* REMIGIO *mitissimè tradidit; ita sacrâ lustratus aquâ, &* VELVT *cœlestis muneris Chrismate delibutus.* Particula *velut* Chrisma cælesti muneri simile notat, sed non cæleste.

Lib. 3. de Statu Franc.

Girardus Haillanus Regius Annalista: *Gregorius, qui statim vixit post* CLODOVEVM *primum Christianum, agens*

de Baptiſmo Clodouei, non dicit conſecratum fuiſſe Regem, vtpote diu antè declaratum & coronatum; nec miraculi S. AMPVLLÆ *vllam facit mentionem, cùm tamen eius ſcripta alijs miraculis abundent.*

Papirius Maſſonus Hiſtoriæ Francicæ diſertus Scriptor: REMIGIVS *Remorum Pontifex Regem aquâ ablutum* SACERDOTALI VNGVENTO *linijt*. Qui Clodoueum ſic delibutum affirmat, miraculo cæleſtis Ampullæ nullam fidem adiunxit. Lib. 1.

Franciſcus Modius in Pandectis triumphalibus, de inauguratione Caroli VI. Franciæ Regis: *Sacris operatur Remenſis Archiepiſcopus, Regemq́ inaugurat, &* INVNGIT *ex* AMPVLLA *ſanctâ, ex quâ olim Diuus* REMIGIVS *inunxit* CLODOVEVM *primum Regem Chriſtianum Franciæ; quæ diuinitus* FERTVR *per* ANGELVM *ad hoc miſſa.* Tomo 1. lib. 4. cap. 9.

Franciſcus Belcarius, Epiſcopus Metenſis, de Henrici II. Regis inauguratione: OLEVM, *quo Reges inunguntur, in* REMIGII *Remenſis Æde cuſtoditur, quod è cœlo delapſum* TRADVNT. *Die inaugurationis* SACRI OLEI AMPVLLA *è Remigij Æde ad primariam Pontificiamq́ deportatur.* Lib. 25. cap. 2.

Iulius Cæſar Bullengerus, Academiæ Piſanæ Profeſſor: *Sacra* AMPVLLA, *quam cœlo delapſam* VOLVNT, *& moriente Rege exinaniri, reuiuiſcente repleri* AIVNT, *ex adyto S. Remigij promitur.* Lib. 13.

Claudius Fauchetus Pariſijs Præſes monetalis: *Mirum eſt, Gregorium Archiepiſcopum Turonenſem, qui natus eſt annis vix quadraginta poſt Baptiſmum* CLODOVEI, *S. Ampullæ miraculum omiſiſſe.* Lib. 2. cap. 19.

Ioannes Serrius in Francicæ Hiſtoriæ inuentario: *Scribit Aimoïnus columbam roſtro attuliſſe Ampullam oleo plenam, quâ vnguntur Reges noſtri, quando inaugurantur: ſed Gregorius Turonenſis antiquior ſolùm tradit, Clodoueum fuiſſe baptizatum.* Tomo 1.

Andreas Laurentius, Henrici IV. Regis Archiater, de Lib. 1. de Strumis cap. 2.

 Rege

Rege Clodoueo: *Christi nomen professus est, fuitq́; à Diuo Remigio Remense Archiepiscopo* VNCTVS *Chrismate*, VT FERVNT, *per columbam cœlitus deportato.*

Lib. 109. Histor. Iacobus Augustus Thuanus, Præses Parisiensis, de oleo Remensi: *A multis de eo* AMBIGITVR, *cùm de illo ipse Sanctus Remigius in suo Testamento sileat, nec Gregorius Turonum Præsul, aliúsve ex veteribus fide dignus Auctor mentionem eius faciat.*

Tomo 1. Scipio Dupleix Historicus Regius: *Quod attinet ad S. Ampullam, quæ hodie magnâ veneratione seruatur in Ecclesiâ S. Remigij Remensis, Gregorius Turonensis Episcopus, qui sub filijs Clodouei in lucem editus est, nihil adfert de tanti momenti miraculo, quamuis eius Historia alijs absque numero miraculis sit instructa.*

In Ration. p. 1. lib. 7. cap. 2. Dionysius Petauius, Societatis Iesu Sacerdos scientissimus, postquam narrauit Clodoueum Regem à S. Remigio Christianis sacris initiatum fuisse, subiungit: *Addunt ad hanc Historiam Hincmarus, & eum secuti Flodoardus & Aimoïnus, cùm puer ille, qui Ampullam ferebat, in quâ sacrum Chrisma continebatur, concursu multitudinis interclusus esset; ad beati preces Antistitis* COLVMBAM *cœlitus aduolasse, quæ* AMPVLLAM *alteram rostro attulit, è quâ Clodoueus inunctus; reliqui deinde Franciæ Reges, ad ætatem vsque nostram, apud Remos ritè consecrantur: cuius rei nulla apud Gregorium mentio.*

Isthæc ventosæ non sunt suffragia plebis; sed virorum scriptis famâque illustrium: quibus tamen opponit Vindex Gallicus Primò; *ex negantibus deducta non procedere argumenta: atque etsi Gregorius rei tam nouæ tamq́; stupendæ disertis verbis non meminerit, non idcircò vacillare miraculi fidem.* Ad quæ dico non vacillare modò, sed planè labi Ampullæ cælestis fidem ex eo, quòd sanctitate & doctrinâ præcellentes in Gallijs Episcopi, æquales & suppares Regis Clodouei,

Cap. 3.

douei, Auitus Viennenſis, Nicetius Treuirenſis, & ipſemet Baptiſtes Remigius Remenſis, qui omnes Gregorium Turonenſem ætate præceſsêre, vbi de Clodouei Baptiſmo egerunt, miraculi Ampullæ nullo pacto meminêre: non quòd prodigij ex alto coruſcantis fuerint obliti (quis enim rem eiuſmodi memoriâ excidere ſinat?) ſed quia ipſi non poterant ſciuiſſe quod reuerà non contigerat. Quocircà & ipſemet patronus Ampullæ Remenſis Marlotus, Liliorum miſſionem ſuſpectam habet, quia Gregorius Turonenſis, Flodoardus & Aimoïnus illam non obſeruarunt. Lib. 2. cap. 4.

Opponit Secundò; *Si Gregorij mens propiùs inſpiciatur, facilè deprehendi nouum quoddam effulſiſſe miraculum, dum purifico rore Clodoueus perfunderetur, quo in ipſo articulo cœleſtis aura ſuauiſsima, quodam odoris halitu ſpirans, ſeſe per ſacram Ædem diffudit, & aliquas præguſtati diuini gaudij libationes ſpectantium animis intulit.* At odores illi nihil ad Ampullæ miraculum, imò ad lauacri & Eccleſiæ præparationem, antequam Clodoueus accederet ad recipiendum Baptiſmum. Sic enim Gregorius Turonenſis de S. Remigio: *Iuſsit lauacrum præparari: velis depictis adumbrantur plateæ; Eccleſiæ cortinis albentibus adornantur; baptiſterium componitur;* BALSAMA *diffunduntur; micant flagrantes odore cerei, totumq́; templum baptiſterij diuino reſpergitur ab odore: talemq́; ibi gratiam adſtantibus Deus tribuit, vt exiſtimarent ſe Paradiſi odoribus conlocari.* Mox ſubditur: *Rex ergo prior propoſuit ſe à Pontifice baptizari: procedit nouus Conſtantinus ad lauacrum, deleturus lepræ veteris morbum.* Odores illi arte humanâ parati præceſsêre Baptiſmum, adeoq́ue ad fictam Ampullæ miſſionem non poſſunt attinere. Lib. 2. cap. 31.

Opponit Tertiò; *fieri poſſe, vt Gregorij Codex non ſolidus, ſed edecumatus, & quibuſdam in partibus mutilus laceruſq́; ad nos velut ex naufragio enatauerit.* Andreas Cheſneus in emendando Gregorij Turonenſis Opere, quod edidit Tomo 1. Script. pag. 252.

anno M. DC. XXXVI. profitetur ſe quinque potiſſimùm MS. Codicibus, iiſque peroptimis vſum, quorum duo ſeruantur in Bibliothecâ Thuanâ; reliquos ſubminiſtrauit Alexandri Petauij Senatoris Regij humanitas: vidiſſe ſe & alterum penes Guidonem Loiſelium, Senatorem ibidem Regium, qui omnium antiquiſſimus cenſeri poteſt, vtpote litteris vncialibus, quas Gothicas dicunt, exaratus; verùm duos tantùm Gregorij libros hunc continere; ſolùm præfationem exhibere, quæ hactenus in editionibus vulgaribus deſiderata fuerat. Atqui in omnibus illis optimæ notæ & antiquiſſimis Codicibus, à Cheſneo viſis & examinatis, de Ampullâ S. Remigio Sacris operanti cælitus miſsâ nullum verbum.

Opponit Quartò, *nonnullos ex plenioribus, vt par eſt credere, Gregorij Codicibus totius rei geſtæ ſeriem deducere*; citatque ad marginem Centuriatores Magdeburgenſes. Equidem non dubito quin dormitaret Vindex Gallicus, dum collectores illos mendaces & hæreticos tamquam teſtes decumanos adduxit, quos Baronius vocat *cæcos, duceſq; cæcorum, qui ſatanico aguntur ſpiritu, miſeros nouatores, & hoſtes implacabiles Romanæ Eccleſiæ.* hæc ſunt eorum verba de ritibus circa Baptiſmum: *Porrò inter alios ritus etiam Chriſma addiderunt: nam vbi Remigius Clodoueum Regem baptizaſſet, non adfuit Chriſma, fortè quia non fuit neceſſarium. Sed ait Gregorius Turonenſis, & Henricus Erphordienſis, columbam ore attuliſſe vas Chriſmate plenum, ne deſideraretur id quod neque Chriſtus neque Apoſtoli vnquam leguntur adiunxiſſe.* Erphordienſis viuebat ſæculo decimo quarto; Gregorius verò Turonenſis, antiquorum Eccleſiæ rituum inſignis obſeruator, nihil tale vmquam in litteras retulit: homines tamen inuerecundi nomen eius falsò vſurpant, vt ei famam & auctoritatem in alijs malitiosè eleuent, quemadmodum colligi datur ex venenatâ eorum commentatione.

An. 363. num. 111. Anno 992. num. 49.

Cent. 6. cap. 6.

Iam

Iam dictis addo, cæleſtem nullo modo eſſe Ampullæ Remenſis materiam, quæ flata eſt ex vitro non puræ ſubſtantiæ, ſed opaco & primoris coctionis; adeoque in officinâ cæleſti, vbi pura & perfecta ſunt omnia, minimè elaborato. Ad formam verò quod attinet, planè refert æui Romani ampullam, quæ ventre patulo erat, & anguſtâ ceruice; vnde Plinius *pyra* quædam *à collo* nuncupata notat *ampullacea*. Ampulla certè vox compoſita videtur ex vetuſtâ præpoſitione *Am*, quæ *circùm* ſignificat, & *bulla*: vt enim hæc in aquis ex aëre circumcircà intumeſcit inſtar pilæ, & citò rumpitur; ſic & ampulla opificis vitriarij ſpiritu in globum fragilis ſufflatur atque fingitur. Vnde Horatius *ampullari* dixit, pro inflari ac ſuperbire; & *ampullas projcere*, pro turgentibus verbis loqui. Dicta eſt autem *ampulla*, quaſi *ambulla*, b mutato in p; vt in antiquis lapidibus legitur *apſens* pro abſens, *pleps* pro plebs, *apſides* pro abſides. Lib. 15. cap. 15. Apud Gruterum.

Rotunda etiam erat, ſed compreſſior ampullâ quâ Reges Hebræorum olim inuncti: legitur enim in Sacrâ Hiſtoriâ de Samuele vngente Saul in Regem: *Tulit autem Samuel* LENTICVLAM OLEI, *& effudit ſuper caput eius.* Lenticula erat ampulla in formam illius leguminis, non globosè rotunda, ſed preſſiori ventre; cuiuſmodi deſcripſit Apuleius de Hyppiâ Philoſopho loquens: *Magno in cœtu prædicauit fabricatum ſemet ſibi* AMPVLLAM OLEARIAM *quam geſtabat*, LENTICVLARI FORMA, *tereti ambitu, preſſulâ rotunditate.* 1. Reg. cap. 10. Lib. 2. Florid.

Arctior autem idcircò erat ampullæ ceruix, vt pretioſa & medicata, quæ intus erat materia, difficilem haberet exitum, & paulatim efflueret; atque ad eum modum, quo fons quidam apud Plinium iuniorem, cuius fauces ſpiritus occultior modò laxabat, modò claudebat: *Quod in* AMPVLLIS, *cæteriſq; generis eiuſdem*, inquit, *videmus accidere, quibus non hians, nec ſtatim patens exitus: nam illa, quam-* Lib. 4. Ep. vlt.

quam prona atque vergentia, per quaſdam obluctantis animæ moras crebris quaſi ſingultibus ſiſtunt quod effundunt.

Proſtabant venales in officinis eiuſmodi ampullæ; qui-
Gruterus pag. 643. num. 10. que illas diſtrahebat dicebatur *Ampullarius*. Lapis Narbonæ in Galliâ:

C. LVCIVS. PHILOMVSVS
AMPVLLARIVS
FRVGI. HIC. EST
SEPVLTVS

Coſmus, Romæ celebris myropola, vnguenta & olea
Lib. 3. Epig. 55. odorata in ampullis vitreis diuendebat. Martialis in Gelliam:

Quòd quâcumque venis COSMVM *migrare putamus,*
Et fluere EXCVSSO *cinnama fuſa* VITRO.

Deinde in Zoilum:

Epig. 82. *Et* COSMIANIS *ipſe fuſus* AMPVLLIS.

Ceterùm ſi percontetur à me quiſpiam, quorſum illa oboli vnius Ampullula Remenſis tam diu ſeruata, & in honore habita fuerit: reſpondebo id factum, quia Sancti Remigij manibus contrectata fuerat; vt nos Catholici ſolemus non tantùm oſſa & cineres Sanctorum pro ſacris Reliquijs habere & venerari, ſed etiam veſtes illorum, ornamenta & vſualem ſupellectilem. Id prætereà factum exiſtimo in memoriam Baptiſmi Regis Clodouei, per quem gens Francorum ad Chriſti fidem adducta fuerat, vt non eſſet opus, ad Ampullæ vitreæ venerationem, fingere eius è cælo delapſum; quem profectò aluit ipſa rei vetuſtas atque æſtimatio. Magna ſemper fuit in populis vanitas; nam &
Lib. 7. cap. 52. de Ariſtæâ Plinius refert, *viſam euolantem ex eius ore animam corui effigie, magnâ quidem fabuloſitate.*

CAPVT

CAPVT XIV.

Vnde orta videatur pia Fabula de Ampullâ S. Remigio ad vngendum in Baptiſmo Regem Clodoueum cælitus miſſâ.

OCTAVO & nono ſæculo in Regno Franciæ magnus fuit prouentus commentorum & fabularum: prodière tunc in lucem ſomnia de Carolo Magno, Rolando Cœnomanenſi, Oliuerio Gebennenſi, Ogero Danico, Gerardo Roſſilionenſi, & ſimilibus; item de Sibiliâ Caroli Magni vxore, *ſuper cuius repudiatione*, inquit Albericus, *à* CANTORIBVS GALLICIS *pulcherrima contexta eſt fabula.* ſic etiam ille ad annum DCCC.VI. *De Guidone, filio Sanſonis Ducis Burgundiæ, in Regem à iuuenibus in Franciâ eleuato, dum Karolus Magnus eſſet in Hiſpaniâ, & de geſtis eiuſdem Guidonis, ſatis pulchra decantatur ſiue* FABVLA, *ſiue hiſtoria.* Sed profanis prætermiſſis ad res pias & ſacras accedamus. An. 770. An. 806.

Viuente Ludouico Pio (hoc eſt ante annum D.CCC.XL.) Hilduinus, S. Dionyſij in Franciâ Abbas, Dionyſium Areopagitam cum Pariſienſi vnum eumdemque eſſe cenſuit: ex quo Areopagitæ nomine perſtrepere & conſonare omnia cœperunt; nihilque prætermiſſum, quo fabulæ plauſibili color & vires adderentur. Ipſemet etiam Hincmarus, tunc S. Dionyſij Monachus, Hilduini magiſtri ſui, educatoris & Abbatis, fabulæ vindex & patronus fuit; eamque apud Carolum Caluum cum toto apparatu aſſerere & perſuadere conatus eſt. Verùm latenti eâ de re veritati lucem dedit eruditiſſimus ſenex Iacobus Sirmondus; oſtenditque de Areopagitæ aduentu in Galliam quod prædicarunt, non antiquis modò Græcorum Latinorumque ſcriptis aduerſari; ſed à priſco Eccleſiæ ritu rectoque iudicio abhorrere.

Areopagitica Hilduini, edita Coloniæ an. 1563.

Surius 9. Octob. Vide ſuprà Cap. 6.

In Epiſt. ad Carolū Caluum, an. 876.

In Differt. de duobus Dionyſijs.

Nono eodem ſæculo Hincmarus, qui Areopagiticæ fabulæ vindex iam fuerat, inauditam per quatuor ferè ſæcula cæleſtem Remenſis Ampullæ miſſionem primus in lucem protulit: quod vnde in mentem ipſi venerit, placet inueſtigare.

Cap. 3. D. Matthæus ſic de Baptiſmo Chriſti Domini: *Baptizatus autem* IESVS *confeſtim aſcendit de aquâ: & ecce aperti ſunt ei cæli: & vidit* SPIRITVM DEI *deſcendentem ſicut* CO-

Cap. 3. LVMBAM, *& venientem ſuper ſe.* S. Lucas de eodem: IESV *baptizato, & orante, apertum eſt* COELVM: *& deſcendit* SPIRITVS SANCTVS *corporali ſpecie ſicut* COLVMBA *in ipſum.* Atque ex tam eminenti archetypo factum eſt, vt baptiſteria veterum Chriſtianorum in cæli formam fuerint extructa.

Natali 10. D. Paulinus Nolanus:

Eſt etiam interiore ſinu maioris in aulæ
Inſita CELLA *procul quaſi filia culminis eius,*
STELLATO *ſpatioſa* THOLO, *trinoq; receſſu,*
Diſpoſitis ſinuata locis, medio PIETATIS
FONTE *nitet, mireq; ſimul nouat atque nouatur.*

Haud diſſimiliter verò cæruleus baptiſterij apex, aureis ſtellis variegatus, cælum ſtellatum referebat: vt Baptiſmus Clodouei in antiquis Codicibus in areâ cyaneâ, tamquam in cælo, reperitur depictus. Iam de columbâ.

Ant. Boſius in Româ ſubt. lib. 2. cap. 21. pag. 131. Iac. Boſius lib. 6. de Cruce cap. 12. Romæ in Cœmiterio Pontiano viâ Portuenſi; & in Iaſpideâ tabulâ Eccleſiæ magnæ Conſtantinopolitanæ, cuius ectypum habemus, Baptiſmus Chriſti delineatus conſpicitur cum columbâ in eius ſacrum caput delabente. In abſide Baſilicæ Lateranenſis crux gemmata expreſſa eſt, in cuius ſummo apice cernitur columba alis expanſis, ex cuius ore vberrimæ aquæ defluunt, totumque Crucis erectum ſtipitem rigant; quâ imagine Baptiſmus Chriſti (poſteà

An. 431. Cruci affixi) deſignatur. S. Paulinus iam laudatus Spiritum ſanctum columbâ ſic expreſſit in Baſilicâ S. Felicis:

Pleno

Pleno coruſcat Trinitas myſterio; Epiſt. 12. ad Seuerum.
Stat Chriſtus Agno, vox Patris cœlo tonat,
Et per COLVMBAM *Spiritus ſanctus fluit.*

In Fundanâ Baſilicâ ſimiliter:

Sub Cruce ſanguineâ niueo ſtat Chriſtus in Agno;
Agnus vt innocua iniuſto datus hoſtia letho;
ALITE *quem* PLACIDA *ſanctus perfundit hiantem*
Spiritus, & rutilâ Genitor de nube coronat.

Columbas idcircò ſupra luſtricos fontes ſuſpendi ſolitas docet idem Paulinus, vbi ſic de diuino lauacro: Loc. cit.

Hic reparandarum generator FONS *animarum,*
Viuum diuino lumine flumen agit.
SANCTVS *in hunc cœlo deſcendit* SPIRITVS *amnem,*
Cœleſtiq; ſacras fonte maritat aquas.

Sed clariùs Epiſtola Clericorum Antiochiæ de Seueri ſacrilegio: COLVMBAS *aureas & argenteas, in formam* SPIRITVS SANCTI *ſuper* DIVINA LAVACRA *& altaria ſuſpenſas, vnà cum alijs ſibi appropriauit.* Synodus 5. Conſtantin. art. 5. Anno 536.

Vidi ego Romæ ante annos quadraginta ſepulchris veterum Chriſtianorum columbas inſculptas, oleæ ramum roſtro prætendentes; vt nempe indicaretur, illos per Spiritum ſanctum in ſacro Fonte regeneratos, Chriſmate ſacro inunctos, & ſic veros Chriſti alumnos fuiſſe. Occaſio quippe vnctionis in Baptiſmo fidelium inſtituendæ à Chriſti Baptiſmo ſumpta eſt, in quo Spiritus ſanctus, qui per Chriſma ſanctitatem in nos infundit, columbæ in ſpeciem cælo demiſſus eſt. Rabanus Maurus diſertè: *Benè quidem Baptiſmo continuatur Chriſmatis vnctio, quia Spiritus ſanctus (qui per illud Chriſma ſuæ virtutis admixtione ſanctificat credentes) baptizato* IESV, *ſtatim ſuper illum in ſpecie columbæ deſcendit; cuius videlicet typum præferebat columba illa, quæ in diluuio ad arcam reportauit ramum* OLIVÆ *virentibus folijs; ſignificans vtique, quòd Spiritus ſanctus per Chriſmatis vnctionem* Vicecomes de Baptiſmo lib. 5. cap. 3. De Inſtitut. Cleric. cap. 28.

nem in Baptiſmate virorem confert fidelibus cœleſtis gratia.

Ad hæc notandum, poſt vetita in Eccleſiâ Dei gentilium ſpectacula, quæ non adeunda eſſe doctè probauit Tertullianus, vtpote à Chriſtianis aliena ex eieratione factâ in Baptiſmo; notandum, inquam, introductum fuiſſe apud Chriſtianos, vt ſacræ Hiſtoriæ certis anni diebus per ludos pios & religioſa ſpectacula populo exhiberentur; id quod adhuc hodie fit in pleriſque Belgicæ locis. Exempli gratiâ in die Pentecoſtes, columba in medio templi demittitur canente Sacerdote, *Accipite Spiritum ſanctum*: & mox ignis decidit cum aliquo ſtrepitu, quo exponantur vtcumque fidelium ſenſibus Apoſtoli verba: *Factus eſt repentè de cœlo ſonus tamquam aduenientis ſpiritus vehementis.* Similiter die ſacro nuntiati conceptus diuini, dum Angelus Gabriel dicit, *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*, è templi fornice columba decidit in puellam, quæ immaculatam Virginem MARIAM repræſentat. In ſacris tamen Hiſtorijs non legitur, Spiritum ſanctum in tali ſpecie ſuper Virginem aut Apoſtolos deſcendiſſe: ſed propterea quòd aliàs apparuit in eiuſmodi formâ, idcircò populis per viuam hiſtoriam ita exhiberi ſolet, vt efficaciùs humanus moueatur animus, quàm ſi id priuatim legeretur, aut publicè audiretur. *Sunt* enim *extraria quædam ſigna*, ait Auguſtinus, *pigritantis etiam fidei aliquando excitatoria, quæ Chriſtianitatis religio vult ſeruari.*

Lib. de Spectac. cap. 24.

Molanus lib. 4. de Imagin. cap. 18.

Act. 2.

Lindanus Apol. p.2. cap. 65.

De Viſitat. infirmorum cap. 3.

Sic etiam aliàs in Galliâ Baptiſmus Regis Clodouei in ſcenâ tabulatâ repræſentari ſolebat cum columbâ (quam Nicænus vocat *Spiritus ſancti hieroglyphicum*) quia per Spiritum ſanctum Clodoueus in Baptiſmo regeneratus fuerat. Vnde ſenſim populo (qui veritatis peſſimus eſt interpres) facilè perſuaſum in Clodouei luſtratione id ita contigiſſe, vt Spiritus ſanctus viſibiliter deſcenderit. Iuuat coniecturam ipſemet Hincmarus, qui profitetur, *ſe de ſancto Remigio*

In Præf. ad Vitam S. Remigij.

Remigio non ſolùm ea relaturum, quæ in Hiſtorijs & diuerſis ſchedulis diſperſa reperit; ſed etiam quæ VVLGATA RELATIONE *percepit.* Cumque certum ſit, illud columbæ prodigium ante Hincmari tempora à nemine in litteras relatum; reliquum eſt, vt Hincmarus id acceperit ex vulgatâ traditione populi, qui pauca veritate, multa opinione æſtimat. Adde, quòd de Ampullæ miraculo non vna omnium eſt aſſertio, cùm tamen vna ſit veritas: quidam enim à columbâ delatam tradunt, alij ab Angelo: vnde par eſt credere, geminâ illâ ratione, & diuerſis temporibus, Baptiſmum Clodouei piâ ſcenâ populis repræſentatum; indeque ortam vulgi fabulam de Ampullâ per columbam, vel Angelum, ad vngendum Regem Clodoueum cælitus porrectâ. Vigebat adhuc in Belgicâ ſecundâ mos eiuſmodi ſæculo decimo quinto: Auctor enim narrationis de Coronatione Caroli VIII. Regis anno M.CD.LXXXIV. adfert plura ſpectacula, ſeu myſteria, Remis tunc exhibita; & nominatim prope Crucem S. Victoris repræſentatum per ſcenicas perſonas Baptiſmum Clodouei, Ampullæque miſſionem; atque in theatri fronte ſcriptum: An. 1484. Cæremon. Franc. Tomo 1. pag. 189.

L'an de grace cinq cent le Roy CLOVIS
Receut à Reims par Saint REMY *Bapteſme,*
Couronne, & SACRE *de l'*AMPOVLLE *pour Creſme,*
Que Dieu des cieux par ſon ANGE *a tranſmis.*

Hoc eſt ad verbum, vt externi quoque intelligant:

Anno gratiæ quingenteſimo Rex CLODOVEVS
Per S. REMIGIVM *Remis accepit Baptiſmum,*
Coronam, & vnctionem ex AMPVLLA *loco Chriſmatis,*
Quam Deus è COELIS *per Angelum tranſmiſit.*

Non abs re facimus, inquit S. Gregorius, *ſi inuiſibilia demonſtramus per viſibilia.* Neque extra rem facere pij homines, qui Spiritum ſanctum, cùm in lauacro (etſi non ipſis teſtibus oculis) Clodoueum purificaret, ſpecie columbæ, Lib. 7. Epiſt. 53.

quâ

quâ ſe aliàs oſtenderat, exhibuêre. Idem cenſeri debet de quibuſdam penſilibus aulæis, atque picturis. *Ars, quæ imitatur, non id agit, vt veritatem omnino repræſentet, ſed imaginem tantùm.* In tragœdiâ ſæculi quarti, inſcriptâ *Chriſtus patiens*, Matris Chriſti deſcribuntur eiulatus. *Stabat autem iuxta crucem* IESV *mater eius*, inquit D. Ioannes; adeóque acerbos non edebat ploratus Virgo obſeruantiſſima legis, quâ cautum erat, ne quem ex damnatis lugere fas eſſet; quod ex more fiebat ſedendo humi, non in pedes ſtando. Quæ ergo exhibentur per ſcenam, ſeu motoriam ſeu ſtatariam, non ſemper regulæ vim obtinent. Multa *ad ſcenæ, miraculis gaudentis, oſtentationem aptiora ſunt, quàm ad fidem.* Supra ſcenam enim *machina,* opus olim erat, vnde ex improuiſo Deus aliquis apparebat, qui de cælo ſuperueniſſe dicebatur.

[Plato lib. 10. de Rep.]
[S. Gregorius Nazianzenus.]
[Cap. 19. num. 25.]
[Pentecont. cap. 20.]
[Liuius lib. 5. Hiſtor.]

CAPVT XV.

Oſtenditur, nullam eſſe Francorum, quam ex fictâ è cælo vnctione capiunt, prærogatiuam. Decretum Senatus Veneti pro illis, fundatum in prauâ conſuetudine, reſcindendum eſſe.

[Cap. 11.]

VIDIMVS ſuprà, vt ſæculi XIII. Scriptores haud prudenter pronunciarint, *Regem Franciæ ſolum, inter vniuerſos Reges terræ, glorioſo præfulgere priuilegio, vt oleo cælitus miſſo inungatur; digniorem eſſe omni alio Rege; Regem eſſe Regum terreſtrium, propter cæleſtem inunctionem.* Ad hæc Nicolaus de Lariſvillâ in Tractatu de Conſecratione Eccleſiæ S. Remigij Remenſis per S. Leonem IX. PP. quem ſcripſit anno M. CD. LX. affirmat *allatam fuiſſe ſanctam Ampullam, vt Francorum Reges cæleſti vnguine liniti, cæteris Regibus, auroræ conſurgentis more,*

[Apud Marlot. lib. 4. pag. 758. An. 1460.]

more, quaſi propter hoc à Domino praelecti, praeſſent. Idem iterùm in Vitâ S. Remigij MS. ſic præcisè loquitur: *In ſanctâ Ampullâ totius Franciæ dignitas, nobilitas, honor, gloria, maieſtas conſiſtit & magnificentia.* Sic etiam Bartholomæus Chaſſanæus Heduenſis in Catalogo gloriæ mundi: *Rex Franciæ cùm ſit chriſtus, ſcilicet oleo ſacro* DIVINITVS *emiſſo* VNCTVS, *& ſacratus, omnibus celſior eſt atque maior; ex quo vocatur Chriſtianiſſimus.* Sebaſtianus Campegius altiori greſſu: *Gallorum Rex non Chriſmate vngitur, ſed vnctione è cœlo demiſſâ; non re humanâ & naturali, ſed diuinâ, & à Chriſto tranſmiſſâ: & hoc eâ ratione fit, vt in Regem Gallorum per impoſitionem diuini olei, per manus Remenſis Pontificis Spiritus ſanctus infundatur vberiùs. Quapropter dicere poſſumus, Regem Gallorum, propter dona à Deo anteceſſoribus ſuis data, omnibus Imperatoribus ac Regibus præferendum.* Guilielmus Marlotus quoque, magnus Prior Monaſterij S. Nicaſij Remenſis, aſſerit, *Reges Franciæ eâ ſolos felicitate frui, vt vngantur digniori liquore, qui vnquam è cœlo in terram defluxerit, ob quem dicti ſunt Protectores fidei, hæreticorum hoſtes, Primogeniti Eccleſiæ, & Chriſtianiſſimi.* Refertur inſuper in nuperâ Ludouici XIII. Regis inauguratione, ob eamdem è cælo cauſam *Regem Franciæ præ omnibus alijs Regibus honoris prærogatiuam habere.* Vbi prætereà narratur die inunctionis intra & extra chorum Eccleſiæ ſparſa fuiſſe à Fœcialibus miſſilia in vulgus; quæ ſic deſcribit Gramondus: *Nummi pars aurei, pars argentei, queis inſculpta effigies Regis eo habitu, quo ſolio Regni recubuerat. Ex aduerſo numiſmatis erumpebat fracta ex nube* MANVS *ſacram Ampullam tenens, aureoq́; rore irrigans ſolum, in hæc verba:* GALLIS DATA MVNERA COELI. Allucinatur Gramondus; in nummis enim legitur FRANCIS, non GALLIS. Ecce tibi aurei archetypi exemplum, ex quo ſaltem Ampullæ Remenſis formam agnoſcas: nam

Lib. 2. cap. 1. pag. 238.

Cõſid. 31.

De Monarchiâ lib. 3. cap. 6.

Lib. 4. cap. 19.

Mercur. Franc. an. 1610.

Lib. 1. pag. 17.

In Franciâ metallicâ. Regia numiſmata, quæ Iacobus Biæus nitidè & eleganter æri incîdit, nullam merentur ab antiquitate fidem, vtpote ad cuiuſlibet arbitrium cuſa vel delineata.



Intuere obſecro, vt in auro à Francis ſignato recti locum teneat error, quia publicus; & nota in anticâ nummi parte impoſitam Regio capiti coronam ſupernè circulis clauſam; cuiuſmodi Carolum VIII. Regem primò vſum Cap. 6. ſcribit Philippus Moreau Burdegalenſis, non aliam puto ob cauſam, quàm quòd ab Alexandro VI. (vt obſeruat In Chron. an. 1494. Tilletus Epiſcopus) Conſtantinopolitanus Imperator pronuntiatus fuerat: ſed cum inani titulo ſtatim euanuit eiuſmodi coronæ decus, quo Ludouicus XII. ſucceſſor eius numquam eſt vſus; illudque Franciſcus I. Regio nomine præter ius & rationem poſteà vſurpauit, vt iam monui in Cap. 13. fin. Vindicijs Hiſpanicis. Obſerua præterea, ex parte nummi poſticâ, de Ampullæ miſſione teſtimoniorum diuerſitatem. Hincmarus enim tradit allatam à columbâ Ampullam; Britto ab Angelo; in iſthoc autem aureo nummo Ampulla porrigitur manu quæ prodit è nube, & ſic Deum Patrem Vide ſuprà Cap. 14. ſignat. Paulinus Nolanus in verſibus, quos picturis baſilicæ Fundanæ adiecit, Chriſtum proponit ſub Agni ſpecie; Spiritum ſanctum ſub alitis placidæ, ſiue columbæ typo; Deum Patrem, qui de nube Agnum coronat; hoc eſt, vt In Hagioglyptis MS. cenſet Ioannes Macarius, *cuius* MANVS *exerta de orbe quodam nubium Filio coronam porrigit, vt ei, cui omne in nos imperium mandat, & quem vult audiamus.* Vnde & Macarius

rius

rius *Manum* pro voce Patris & eius etiam perſonâ rectè interpretatur: vt enim Sacræ Litteræ ſapientiam Filio, amorem Spiritui ſancto, ſic & Patri ſummam omnium rerum poteſtatem adſcribunt, quam *Manum* appellant. Romæ in curuitate abſidis S. Clementis Crux opere muſiuo picta conſpicitur; cuius ectypum edidit Iacobus Boſius: in eminenti Crucis cornu Manus coronam tenet, Chriſtumque in Cruce patientem, vt Paulini verbis vtar, *Genitor de nube coronat*. Lib. 6. de Cruce cap. 11.

Ex eâ porrò Ampullam cælitus offerentium varietate à Francis traditâ, veritatis penuriam notare licet. Tam cæca eſt & ſtupida ſemper fictio, vt neſciat eſſe omni ex parte munita. Cumque hac noſtrâ diſſertatione luculenter oſtenderimus, cæleſtem Ampullæ miſſionem haud veram, ſed ſcenicam eſſe; rectè inferre licet, deductam ab illâ omnem Franciæ dignitatem, nobilitatem, honorem, gloriam, maieſtatem, & magnificentiam, in vndantis aquæ bullas atque ampullas reſolui.

Verùm opponunt Franci conſuetudinem, & dicunt anno M.D.LVIII. à Senatu Veneto decretum, vt Legatus Francus ex more præcederet Hiſpanum; adducuntq; iſthæc Iacobi Menochij verba: *Audio Sereniſſimum Dominium Venetorum aliquando declaraſſe, obſeruandam fuiſſe* CONSVETVDINEM *præeminentiæ ſedendi & ambulandi inter Regis Chriſtianiſſimi & Regis Catholici Legatos; ac etiam inter Legatos Ducum Ferrariæ & Florentiæ; quo ſanè prudentiſſimo conſilio factum eſt, vt nemo eorum conqueri potuerit, cùm id placuerit Dominio Sereniſſimo, quod olim illis placuit*. Profectò id placuiſſe Regibus Hiſpaniæ abſolutè nego. Sic enim Petrus Iuſtinianus Hiſtoriæ Venetæ Scriptor: *Atque alia Venetâ in vrbe non minor controuerſia inter Henrici Galliæ & Philippi Hiſpaniæ Regum Oratores oborta eſt: vterque enim Principum ſuorum potentiam dimetiens, pri-* An. 1558. Gothofredus de Prærogat. cap. 3. Conſilio 126. num. 5. Lib. 14.

mum & honoratiorem locum apud Principem Senatumq́, ſibi exhiberi poſtulabat: diuq́, id Patres decernere recuſarunt, cùm ad PONTIFICEM *hæc ſpectaret cognitio, nilq́, ex antiquâ prioriq́,* CONSVETVDINE, *& quod omnium memoriâ ſemper obſeruatum fuerat, à Senatu immutatum eſt: reuocauitq́,* PHILIPPVS *Rex Oratorem ſuum ex Venetâ vrbe in Hiſpaniam.* Conſuetudinem verò apud Venetos introductam eo maximè nixam fuiſſe fundamento, quòd Reges Franciæ oleo cælitus miſſo delinirentur, clarè inſinuat Michaël Surianus, Sereniſſimæ Venetorum Reipublicæ in Franciâ Legatus: *Non videtur omittendum,* inquit, *quod multi conſideratione dignum exiſtimant; nempe morem inungendi Reges, qui à Deo fuit inſtitutus tempore Regum Hebræorum, & quo tres aut quatuor Chriſtiani Reges vtuntur, eſſe inſignis præeminentiæ notam, quæ initium habuit in Franciâ ante annos mille: ſeruaturq́, Remis in hanc vſque diem ſacra* AMPVLLA, *quæ miraculoſa ab omnibus cenſetur; cuius liquore Reges omnes ſucceſſiuè inunguntur.* Ad quæ dico in primis, inter Francorum Reges primæ ſtirpis non legi vllum fuiſſe delibutum vnctione Regni; ſed Clodoueum I. vnctione Baptiſmi. Addo prætereà, ab omnibus non credi Ampullam Remenſem miraculoſam eſſe, quam oſtenſum eſt à nobis carere fide. Quapropter ex conſuetudine, quæ ab illâ apud Venetos introducta eſt, oriri non potuit niſi *erroris vetuſtas,* vt loquitur S. Cyprianus. *Veritati* enim *nemo præſcribere poteſt* (verba ſunt Tertulliani) *non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non priuilegium regionum. Ex his enim ferè* CONSVETVDO *initium ab aliquâ ignorantiâ vel ſimplicitate ſortita, in vſum per ſucceſſionem corroboratur, & ita aduerſus veritatem vindicatur.* Magnus Oſius, Cordubenſis Epiſcopus, conſuetudinem eiuſmodi, quæ contra veritatem eſt, non modò vocat *malam conſuetudinem*, ſed *pernicioſiſſimam rerum corruptelam.*

In Relat. Franciciâ an. 1562. editâ per Auberiū.

Epiſt. 74. ad Pomp. Libro de Velandis Virginibus cap. 1.

In Concil. Sardicenſi.

ptelam. Et Eques Germanus, qui de ſplendore Romani Imperij contra Caſſanum ſcripſit, verè ſic loquitur: *Quæcumque dignitas in nullo iuris titulo, quo legitimè aliquid acquiritur, fundata eſt, ea non tam dignitas, quàm arrogantia & ambitioſa vſurpatio dicenda eſt*. Ex quibus concluſionem hanc elicio; *Ex fictâ è cœlis vnctione à Francis iactatâ ortam apud Venetos conſuetudinem, vt Francorum Legati præferrentur Hiſpanis, meram eſſe corruptelam & vſurpationem, adeoq; optimo iure reſcindendam à Sereniſſimo Venetorum Senatu*; quem ſi non mea, certè Liboſi Epiſcopi moueant verba: *In Euangelio dixit Dominus, Ego ſum veritas; non dixit, Ego ſum conſuetudo. Itaque veritate manifeſtatâ, cedat conſuetudo veritati.* Cap. 9. In Concil. Carthag.

Alia etiam de Legatis Regum praua eſt conſuetudo apud Polonos, vt quiſque prior Poloniæ fines ingreſſus ſit, prior ſit in ordine dicendi & ſedendi. Id quod in Comitijs Pruſſicis Stumbsdorffianis Georgius Duglaſſius, Regis Magnæ Britanniæ Legatus (qui Claudio de Meſmes Legato Regis Franciæ præcedentiam negabat) meritò improbauit, & Cancellariæ Polonicæ ſtylum acriter redarguit. Ex relat. M S. anni 1635.

CAPVT XVI.

Sacra Regum vnctio apud Hiſpanos priùs vſitata quàm apud Francos; peræquè titulus CHRISTIANISSIMI.

VT de iure vnctionis Regiæ omnis controuerſia exoluatur, poſito quòd Ampullæ cæleſtis miſſio ſit fabuloſa, & quòd Clodoueus à S. Remigio inunctus fuerit vnctione Baptiſmi dumtaxat, non Regiâ (quod vtrumque certum eſt;) dico, Regalem inunctionem, quæ tanti ſit à Francis ad prærogatiuam dignitatis, in Hiſpaniâ antiquiorem eſſe quàm in Franciâ:

An. 752. Pipinus enim Caroli Magni Parens, imitatus Iudæorum atque Visigothorum Reges, primus inter Francorum Reges (vt affirmant Belleforestius, Fauchetus, & Valesius) per oleum sanctificatum Rex inauguratus est: vnde Theodorus GothofredusTomum priorem Francici Cæremonialis incipit ab inunctione Regiâ Pipini Breuis factâ anno DCC. LII. quia in FrancorumHistorijs antiquiorem non inuenerat. De Recaredo autem HispaniarumRege (qui Pipinum fesqui sæculo ad minimum præcessit) sic S. Isidorus Hispalensis Episcopus: *Leuvigildo defuncto, filius eius* RECAREDVS *Regno est* CORONATVS. Lucas Tudensis: *In Regno* CORONATVS *est*. Atqui vnctio ex more præcedebat coronationem, vt exempla statim docebunt. Ille porrò est Recaredus Rex, de quo sic Chronicum MS. Anglo-Saxonicum ad annum D. XCI. *Gothi, Recaredo Principe intercedente, ad fidem Catholicam* REVERTVNTVR. Albericus ad annum D. XCVI. *Arianæ perfidiæ renunciant* LXII. *VVisigothorum Episcopi*. Gothi ergo orthodoxi erant, priusquam Arianâ labe inficerentur, & sic diu ante Francos Christiani. Atque hinc est, quòd Concilia Hispaniæ Recaredum (qui primus omnium Regum Catholicorum totius Orbis vnctus & coronatus fuit) miris elogijs extulêre. In Toletano III. Episcoporum LXII. ab vniuerso Clero adclamatum est: *Cui à Deo æternum meritum, nisi vero Catholico* RECCAREDO *Regi? Cui à Deo æterna corona, nisi vero orthodoxo* RECCAREDO *Regi? Cui præsens gloria, & æterna, nisi vero amatori Dei* RECCAREDO *Regi?* Aliud Concilium XIII. Episcoporum Toleti quoque celebratum designatur *anno duodecimo Regni* CHRISTIANISSIMI, *& amatoris Dei, gloriosissimi Domni* RECCAREDI *Regis*. Barcinonense item *anno feliciter* XIV. *Regni* CHRISTIANISSIMI *& pijssimi Domini* RECCAREDI *Regis*. Iulianus, Toleti Episcopus, in Historiâ VVambæ Regis, sic de Paulo Tyranno: *Factum est, vt vasa auri & argenti quam-*

In Rege Pipino. Lib. 6.
In Chron. an. 586.
An. 591.
An. 596.
An. 589.
An. 597.
An. 599.
Tomo 4. Hisp. illustr. pag. 65.

quamplurima de thesauris Dominicis raperet, & coronam illam auream, quam DIVÆ MEMORIÆ RECAREDVS CHRISTIANISSIMVS *Princeps ad corpus beatissimi Felicis obtulerat, idem Paulus insano capiti suo imponeret.* Ioannes Biclariensis Abbas, qui Recaredo Rege factus est Episcopus Gerundensis: *In quâ Synodo* [Toletanâ tertiâ] *intererat memoratus* CHRISTIANISSIMVS *Recaredus.* Iactet iam Vindex Gallicus CHRISTIANISSIMI cognomen è medijs testamenti Remigiani deductum tabulis, quæ falsæ sunt & confictæ; nec ipse Sanctus, si viueret, illas agnosceret, qui in vltimâ voluntate suâ, quam edidimus, *Clodoueum* vocat *Domnum inlustris memoriæ* HLVDOWICVM, more gentis & sæculi, quo priscos Francorum Reges *Viri illustris* titulo contentos fuisse, veteres tabulæ abundè testantur; & in primis ipsiusmet Clodouei Magni præceptum pro Monasterio Reomaensi, quod incipit: *Clodoueus Rex Francorum vir inlustris.* In Chron. Cap. 7. Roueriùs in Reomao.

Sed redeamus ad vnctionem: Recaredi Regis successores Hispaniæ Reges à Toletanis Archiepiscopis consecrati sunt, VNCTI, & coronati; GVNDEMARVS Rex anno DC.X. ab Arausio Archiepiscopo; CHINTILA anno DC. XXXV. TVLGA anno DC.XL. CHINDASWINTHVS anno DC.XLII. RECESWINTHVS anno DC.LIII. omnes ab Eugenio Archipræsule Toletano. Luitprandus, siue alius, in Chron. An. 610. 635. 640. 642. 653.

In Chronico Regum Wisigothorum MS. quod seruatur Bruxellæ in Bibliothecâ Regiâ, postquam actum est de obitu Recessuindi Regis, additur statim: *Suscepit autem Dominus* WAMBA *Regni gubernacula eodem die, quo ille obijt, in supradictis Kalendis Septembris, dilatâ* VNCTIONIS *solemnitate vsque in die* XIII. *Kal. Octobris.* Iulianus Toleti Episcopus in Historiâ Wambæ Regis iam laudatâ: *Adfuit in diebus nostris clarissimus* WAMBA *Princeps, quem dignè principari Dominus voluit, quem* SACERDOTALIS VNCTIO

decla-

declarauit, quem totius gentis & patriæ communio ELEGIT. Tum quibuſdam interiectis: *Vbi ventum eſt quò* SACRÆ VNCTIONIS *ſuſciperet* SIGNVM *in Prætorienſi Eccleſiâ, ſanctorum ſcilicet Petri & Pauli; regio iam cultu conſpicuus, ante altare diuinum conſiſtens, ex more fidem populis tradidit: deinde curuatis genibus* OLEVM BENEDICTIONIS *per ſacri* QVIRICI *Pontificis manus* VERTICI *eius refunditur, & benedictionis copiâ exhibetur. Vbi ſtatim* SIGNVM *hoc* SALVTIS *emicuit: namq; mox è vertice ipſo, vbi oleum ipſum perfuſum fuerat, euaporatio quædam fumo ſimilis in modum columnæ ſeſe erexit in capite; & è loco ipſo capitis* APIS *viſa eſt proſiliÿſſe: quod vtique* SIGNVM *cuiuſdam* FELICITATIS *futuræ ſpeciem portenderet.* Addit Ioannes Mariana: *Ludibria ſæpè oculorum à populo pro veris prædicantur, dices. Rectè, ni id etiam Iulianus Epiſcopus Toletanus confirmaret in proprio Commentario de Bello Narbonenſi, VVambâ Rege.* Ioannes Magnus Gothus de eodem Rege Wambâ: *Non paſſus eſt ſe Regem nominari, donec Sanctorum Regum exemplo per manus Pontificum* INVNCTVS *& coronatus eſſet.* Ex illa porrò Wambæ Hiſpaniæ Regis vnctione in vertice, à Iuliano Toleti Epiſcopo tunc viuente traditâ, arguitur Hubertus Morus, vbi ſcribit, *in Regum Franciæ conſecratione ſingulare eſſe, quòd ipſi in vertice liniantur.*

Eadem narrant Lucas Tudenſis & Rodericus Toletanus.

Lib. 6. cap. 12.

Lib. 6. cap. 22.

Lib. 3. cap. 5.

De Rege Eruigio, poſtquam Wamba relicto ſæculo Monaſterium ingreſſus fuiſſet, ſic Wiſigothorum Chronicum iam citatum: *Suſcepit autem ſuccedente die, ſecundâ Feriâ, glorioſus Domnus noſter* ERVIGIVS *Regni ſceptra, quod fuit Idus Octob. Lunâ* XVI. *Erâ* DCC. XV. *dilatâ* VNCTIONIS *ſolemnitate vſque in ſuperueniente die Dominico.* In Concilio Toletano XII. libellus oblatus Patribus ab ipſomet Rege Eruigio: *Sublimationis noſtræ primordia Paternitati veſtræ opinabili relatione non latent, quibus clarâ diuinorum iudiciorum diſpoſitione præuentus, & regnandi conſcenderim ſedem,*

An. 677.

An. 681.

&

& SACROSANCTAM *Regni perceperim* VNCTIONEM.

De EGICA Rege, Eruigij genero, Ambrosius Morales: VNCTVS *fuit in Prætorienſi Eccleſiâ SS. Petri & Pauli Dominicâ ſequente, diebus vndecim poſt eius electionem, decem poſt ſoceri mortem.* Lib. 12. cap. 57. An. 687.

De Witizâ Rege Luitprandus, ſiue alius: *Succedit illi* (Egicæ Regi) *in Regno VViſigothorum* FLAVIVS WITIZA *filius eius; conſecratur,* INVNGITVR, *coronatur (vt Imperatores ſolebant Conſtantinopolitani) manu Patriarchæ eiuſdem vrbis die Lunæ Kal. Septembris à Gunderico Toletano Pontifice, & præſentibus Epiſcopis Metropolitanis, & Palatinis, in Æde S. Mariæ, quæ de Alficen modò dicitur.* In Chron. an. 791.

De Roderico Rege Hieronymus Higuera: RODERICVS *Rex conſecratur &* INVNGITVR *in Æde S. Leocadiæ Prætorienſi, in vrbe Regiâ, à Sinderedo legitimo Pontifice Toletano, præſente Oppane intruſo, à quo noluit Rodericus conſecrari. Intererat magnus numerus Pontificum & Palatinorum in Regiâ conſecratione.* In Notis ad Luitpr. Chron. an. 711.

Denique in antiquâ exhortatione ad Principem Hiſpaniæ, quæ Via Regia dicitur, hæc habentur: *Ritè portas diademata Regis; primùm, quia de femore Regis, Regaliq; deſcendis proſapiâ, decenter tibi conuenit & benè multa regere Regna: ſecundò, quia te Regem eſſe & ſacri Chriſmatis* VNCTIO, *& fidei confeſſio, operiſq; confirmat & actio.* Loayſa in Conc. Hiſpan. pag. 34.

Sed neque ſolùm inuncti ſunt Gothi in Hiſpaniâ Reges; qui Pipinum Francorum Regem ætate præceſsêre; verùm etiam, poſt Hiſpaniæ inſtaurationem, Caſtellæ & Legionis Reges. Ambroſius Morales Alphonſi Caſti Regis vnctionem probat antiquiſſimo priuilegio Monaſterij S. Vincentij de Monte forti, quod incipit: *Erâ octingenteſimâ vigeſimâ nonâ* VNCTVS *eſt in Regno Rex Magnus* ADEFONSVS, *decimo octauo Cal. Octobris.* Lucas Tudenſis Epiſcopus de Alphonſo Magno Rege: ADEFONSVS, *qui obeunte patre* Lib. 13. cap. 29. An. 791. In Chron. an. 791.

L *caſu*

casu à palatio aberat, postquam accepit nuntium quòd pater eius Ordonius erat mortuus, summâ festinatione Ouetum venit, & de consensu & fauore omnium Magnatum anno ætatis suæ XIV. *in Regem* VNCTVS *est, & commissam Regni administratio-*
An. 1037. *nem strenuè disponere inchoauit.* De Ferdinando I. Rege: *Consecratus est Domnus* FREDENANDVS *in Ecclesiâ S. Mariæ Legionensis Sedis, &* VNCTVS *in Regem à Seruando, eius-*
An. 1135. *dem Ecclesiæ Catholico Episcopo.* De Alphonso VIII. Rege: *Fecit congregari Episcopos & omnes Barones Regni sui in Legione, & imponi sibi* CORONAM *secundùm legem Dei, &*
In Histor. Alphonsi Regis. *consuetudinem Regum priorum.* Sandoualius de eodem, vt agnoscas vnctionem ex more coronationi semper præmissam: *Cùm Rex accessisset, Archiepiscopus oleo sancto ipsum* INVNXIT, *posuitq; in eius capite* CORONAM *pretiosam, & in manu sceptrum.* Habes antiquum morem, ex quo Catholici Hispaniarum Reges more maiorum inungi hodie possent, si vellent; verùm quia non electionis, sed mero sanguinis iure traduces succedunt in Regnis, non indigent Regiâ vnctione vt capessant sceptra, qui lucem non aspiciunt nisi Reges. Vt enim magni reuerà coniuges

Corpora legitimis imposuêre thoris;
Hinc sata MAIESTAS, *mundum quæ temperat omnem;*
Quoq; die partu est edita, MAGNA *fuit.*

Certè in antiquâ lege, ex quâ deriuatus est ad Christianos
In cap. 11. lib. 4. Regum. vnctionis ritus, *filij Regum non vngebantur* (inquit Franciscus Vatablus, litterarum Hebraicarum primus Parisijs Professor:) *erant enim vncti in patribus; sed vnxerunt Ioam filium Ochoziæ, quòd controuersia esset de Regno: Athalia enim regnare volebat. Hoc pacto vnctus fuit & Salomon.* Apud Francos etiam, octauo sæculo, subortâ de regnando lite, cùm Childerico Rege inutili deposito Pipinus ex aliâ stirpe Rex electus fuisset, ipse ad maiorem Regni sui securitatem primus Regum Francorum, cum duobus filijs suis

Carlo-

Carlomanno & Carolo, bis inungi conſecrariq́ue voluit. Rurſus, cùm ad tertiam ſtirpem tranſlatum eſſet ſceptrum, Carolo Duce Inferioris Lotharingiæ, proximo & legitimo herede, à Francis iniquè expulſo, intruſoq́ue Hugone Capeto; iſte aſtutus Princeps Regnum in ſuam familiam vi & electione tranſlatum ſtabilire volens, filium ſuum Robertum ſacræ obtulit vnctioni. *Certum* autem *eſt*, inquit Hubertus Morus, *Hugonem Capetum, ex quo ſe ortos iſti* [Borbonij] *gloriantur, iuris nihil habuiſſe, ac proinde neque in poſteros ius vllum transferre potuiſſe*. Tum inferiùs: *Ipſi ſanè nihil iuris habent, cùm Hugo Capetus, quod legitimè non habuit, poſteris legitimè relinquere non potuerit*. Neque anteà Robertus, Hugonis Capeti auus, pro legitimo Rege fuerat agnitus; *quem cùm Herueus Remenſis Archiepiſcopus Remis conſecrare auſus eſſet, triduo pòſt ſubità morte extinctus fuiſſe narratur. Et mors eius pro miraculo vel prodigio à multis habita.* Lib. 3. cap. 9. Morus lib. 3. cap. 1. & 11. Tilletus in Carolo Simplice.

Ceterùm de vnctione Regum, qui hereditate ſuccedunt, aliter ſentit Franc. Belleforeſtius, vbi ſtatuit, *eſſentiam regiæ maieſtatis pendere ab hæreditariâ ſucceſſione; per conſecrationem verò populos edoceri, Regem inauguratum eſſe defuncti ſucceſſorem*. Cùm autem de ſuorum Regum ſucceſſione legitimâ certi ſint Hiſpani, ſuperfluum exiſtimant Reges ſuos inungi. Lib. 5. cap. 84.

CAPVT XVII.

Epulum Norimbergenſe Ducis Amalfitani, in quo de prærogatiuâ ſedium lis exorta inter Legatos Francorum & Suecorum.

PERACTIS omnino & concluſis Pacis pactionibus inter FERDINANDVM III. Imperatorem, & CoronasFrancicam atque Suecicam;Octauius Comes Piccolomini, Aragonius, Dux Amalfitanus, Ordinis Aurei Velleris Eques, Cæſareæ militiæ Præfectus generalis, Cæſariſque Legatus & Plenipotentiarius, (nunc S.R.I. Princeps) vt publicè teſtaretur lætitiam,quam ex Pacis opere ad colophonem perducto conceperat, decreuit, ex mandato Sacræ Cæſareæ Maieſtatis, Sereniſſimo Principi Carolo Guſtauo, Comiti Palatino, Suecorum Architalaſſo, nec non & Coronæ vtriuſque, & Principum Electorum, Statuumque Imperij Legatis & Plenipotentiarijs Norimbergæ congregatis, magnificum & ſplendidum conuiuium exhibere menſis Iulij die XIV. S. Henrico Imperatori ſacrâ, *qui S. Stephanum Hungarorum Regem, cum vniuerſo ferè eius Regno, ad Chriſti fidem ſuſcipiendam perduxit.*

An. 1650. 14. Iulij. Martyrol. Romanũ.

Ferunt Paulum Æmilium Ducem Romanum, cùm in Macedoniâ conuiuia inſtrueret, admirabili in cunctis ordine apparatuque reliquo vſum fuiſſe, ac dicere ſolitum; *eiuſdem eſſe viri & aciem terribiliſſimam, & conuiuium lætiſſimum inſtruere: vtrobique congruum ordinem ſpectari.* Ita Dux Amalfitanus, bello & pace inclytus, epuli quod exhibebat diſpenſator prudentiſſimus fuit. In primis enim, prope Norimbergam in patenti planitie, *ad ſanctum Ioannem* vulgò nuncupatam, vbi Ludicro balliſtario ciues exerceri ſolent, epuli ſui locum elegit, planè ad antiquum morem:

Plutarchus lib. 1. Symp. problem. 2.

nam

nam ſic Suetonius de Claudio : *Conuiuia agitauit, & ampla & aſſidua, ac ferè* PATENTISSIMIS LOCIS, *vt plerumque ſexcenteni ferè diſcumberent.* Tacitus de Nerone: *Quo fidem acquireret, nihil vſquam perinde lætum ſibi,* PVBLICIS LOCIS *ſtruere* CONVIVIA, *ipsâque vrbe quaſi domo vti.* In Claudio. Lib. 5. Annal.

In eâ igitur patenti S. Ioannis areâ Dux Amalfitanus aduerſus Solis ac tempeſtatis iniuriam obducta frondibus tentoria, ſiue tabernacula excitari iuſſit, ex priſco item & Romano more. Titus Liuius de ludis per triduum factis: *Poſt ludos* EPVLVM, *in quo cùm* TOTO FORO *ſtrata triclinia eſſent, tempeſtas cum multis procellis exorta coëgit pleroſque* TABERNACVLA *ſtatuere in foro.* Lib. 39.

In primario & maiore tentorio poſita fuit formâ hemicycli menſa principalis; quales ab antiquis ſæculis exhibet Antonius Boſius in Româ ſubterraneâ. De menſâ eiuſmodi, Celtis olim familiari, Poſidonius apud Athenæum: *Conuiuæ plures ad cœnam ſi conueniant,* IN ORBEM *conſident:* IN MEDIO *præſtantiſſimi ſedes eſt, velut cœtus Principis, eius nimirum, qui cæteris vel bellicâ dexteritate, vel nobilitate generis anteit, vel diuitijs.* Sedebant in orbem Celtæ, non quidem integrum & perfectum, in quo non datur principium neque finis; ſed in dimidiatum, in cuius medio præſtantiſſimi ſedes erat. Dithmarus de Othone III. Cæſare agente Aquiſgrani: *Imperator antiquam Romanorum conſuetudinem cupiens reuocare, magnâ ex parte iam ſuis deletam temporibus, multa faciebat, quæ diuerſi diuersè accipiebant: ſolus ad menſam, quaſi* SEMICIRCVLVM *factam, loco cæteris eminentiore ſedebat.* Lib. 4. cap. 12. Lib. 4. Chron.

Plutarchus iterùm in Sympoſiacis ſolertiam conuiuatoris exponens docet, cùm plurima ſunt loca exiſtimationis ſplendore nobilitata, multum diſpenſationis delectum eſſe, ſi quis cautè collimare poſſit, cui primus locus, cui medius, Lib. 1. problem. 2.

cui alius aſſignari debeat. *Locus in cœnâ honoratior* (eodem Plutarcho docente) *Perſis* MEDIVS *eſt, quem accumbens Rex occupat.* Vnde Cyrus Rex, apud Xenophontem, in conuiuio MEDIVS diſcubuit. Dido, Regij ſanguinis mulier, ad menſam recubuit media:

Probl. 3. Lib. 2. Pædag.

—— Aulæis iam ſe Regina ſuperbis
Aurea compoſuit ſpondâ, MEDIAMQVE *locauit.*

Virgil. 1. Aen.

In Epulis exhibitis Iaſoni Theſſaliæ claro Principi,

—— medijs famulæ conuiuia tectis
Expediunt; Tyrio vibrat torus igneus oſtro:
IN MEDIO *Æſonides, iam ſe Regina locauit,*
Poſt alij Proceres.

Valer. Flaccus Argon. 2.

In Romano triclinio, medij lecti locus medius Regum proprius erat. *Exactis enim Regibus*, inquit Plutarchus, *Conſules cùm ad popularem formam omnia redigerent, ſeipſos* MEDIO ET REGIO LOCO *deorſum ſubduxerunt, ne vel ipſe locus, qui Imperij & Regiæ poteſtatis proprius fuerat, moleſtus eſſet ciuibus.* Priſcus de Attilæ Regis conuiuio, quo Legatos Italos & Conſtantinopolitanos excepit: *Ad parietes domus, cathedræ erant ex vtroque latere:* IN MEDIO, *ſuper lecto erat Attila.* His & ſimilibus ex vetuſtate exemplis inſtructus Dux Amalfitanus, Sereniſſimo Principi, CAROLO GVSTAVO, Comiti Palatino Rheni, exercitus Suecici Præfecto ſupremo, primarium & honoratiſſimum in medio hemicycli locum aſſignauit.

Loco cit. — In Eclogis.

Sed audiendus rurſum Priſcus de Attilæ Regis conuiuio: *Primum ordinem conuiuarum exiſtimabant eum, qui eſſet ad* DEXTRAM *Attilæ; ſecundum verò, qui ad* LÆVAM: *in quo nos eramus.* Quid fecit ſolertiſſimus Conuiuator Amalfitanus? Ille vt externos conuiuas ex antiquo vrbanitatis more honeſtaret, ordinem primum, hoc eſt, ad Palatini dextram, ipſis aſſignauit, Francis & Suecis, ſiue Suecis & Francis. Lis enim poſtmodum inter eos exorta de præcedentiâ;

Loco cit.

cedentiâ; quæ propterea quòd ſopiri non potuit, receſsê-re à Conuentu Franci, Suecis dextrum ordinem in hemi-cyclo ſic occupantibus, vt primus poſt Principem ſederet D. Carolus Guſtauus Wrangel, armorum Suecicorum ge-neralis Campimareſchallus; ſecundus D. Alexander Erſ-ken, Conſiliarius Suecicus & Præſes militiæ; tertius D. Be-nedictus Baro de Oxenſtern, Legatus Suecicus. In ſiniſtro autem ordine ad Principis Palatini læuam primus ſedit dominus epuli Dux Amalfitanus; ſecundus D. Iſaac Wolmar, Cæſareæ Maieſtatis Conſiliarius & Legatus; ter-tius D. Ioannes à Crane, Conſiliarius Aulicus & Legatus Cæſareus. Sequebantur hinc inde, Principum Electorum Legati, Moguntinus ad dextram, Colonienſis ad ſiniſtram, & ſic de reliquis.

Ceterùm, vt eluceſcat ampliùs ſolertia Ducis Conuiua-toris, ipſe ſibi ſedem delegit infra Principem Palatinum, hoc eſt, ad ſiniſtram eius; vt olim in triclinio, locus domi-ni domus erat infra honoratiſſimum conuiuarum. Plutar-chus ex Græco ad verbum interpretatus: *Cùm duo lecti in-uitatis tribuantur, tertius lectus, eiuſq́, primus locus domino congruit: in eo enim, tanquam auriga & gubernator, ad dex-teram facilè & miniſteria intueri; & ab alijs ita longè non abeſt, vt eos & humaniter inuitare, & alloqui non poſſit. Lo-cus infra eum, vxoris eſt & liberorum. Qui ſupra, vt par eſt, tribuitur conuiuarum honoratiſſimo, vt ſit prope dominum conuiuij.* Si autem cœnæ dominus ſupra conuiuam ſuum accumberet, id inſolens ac planè nouum Seneca ſic inſi-nuat: *Minùs honorato loco poſitus iraſci cœpiſti conuiuatori, vocatori, ipſi qui tibi præferebatur. Demens quid intereſt quam lecti premas partem? honeſtiorem te aut turpiorem poteſt fa-cere puluinum?* Id verò aliàs feciſſe Trimalcionem doce-mur à Petronio: *Iam omnes diſcubuerant, præter ipſum Trimalcionem, cui locus,* NOVO MORE, *primus ſeruabatur.*

Lib. 1. probl. 3.

De Irâ cap. 37.

In Satyr.

Exhi-

Exhibebat cœnam Trimalcio, adeoque diſcumbere debebat in primo inferioris lecti loco: illi tamen primus alterius lecti locus, præter morem & vrbanitatem attributus eſt.

Sidon. Apollin. lib. 1. Epiſt. 11.

Alius ordo conuiuarum erat in ſtibadio, in quo primus locus erat in cornu ſiniſtro & ſupremo, quem in epulo Maioriani Cæſaris occupabat honoratiſſimus vocatorum Conſul Seuerinus; ſequebatur Magnus; tertius Camillus; quartus Pœonius; quintus Athenius; ſextus Gratianenſis; ſeptimus & vltimus inuitatorum Apollinaris Sidonius: octauus denique, in dextro & imo ſigmatis cornu, Maiorianus Imperator, qui conuiuij Dominus erat.

Sulpitius Seuerus de Vitâ S. Martini cap. 23. & Paulinus Petrocordius lib. 3.

In conuiuio, quo Maximus Imperator S. Martinum Turonenſem Treueris excepit, primus recumbebat in cornu ſigmatis ſiniſtro & ſupremo Præfectus idemque Conſul Euodius; infra illum Comites duo; tum S. Martini Presbyter; mox frater, ac deinde patruus Maximi Cæſaris; & poſtremus in dextro & infimo cornu ipſemet Maximus Imperator; iuxta quem, extra ſtibadium, S. Martinus, modeſtiæ & humilitatis causâ, ſedebat in ſellulâ ruſticanâ. Ex quibus planè conſtat humanitatis & beneuolentiæ conuiuatoris, dignitate quamtumuis præcellentis, olim fuiſſe, vt externis, & ab ſe inuitatis, etſi ſtatu & conditione inferioribus, in accubitu ad menſam loco cederet, & demiſſiorem occuparet. Qui aliter faciebant, Phariſæorum exemplum æmulabantur, quibus honoris auidis exprobrauit Chriſtus, *quòd habere vellent primas cathedras in ſynagogis, & primos diſcubitus in cœnis.* Iuuencus Presbyter de illis:

Matth. 23. Marci 12.

Lib. 4.

Accubitu primo cœnæ, faſtuq; ſuperbo,
Atque ſalutantum vano tolluntur honore.

Chriſtum conuiuam ſuum eo faſtu deſpexit Simon Phariſæus, quem deiecit in vltimum accubitu locum. Petrus Chryſologus: *Phariſæus veſte clarus, primus in ſigmate, in*

Serm. 93.

te, in ipſis oculis Chriſti tumens, epulis homini, non Deo placituris feſtiuus infunditur. Aptè dicitur *tumens in Chriſti oculis*, qui præter vrbanitatem & priſcos mores, recumbebat in cornu ſtibadij ſiniſtro & ſupremo, Chriſtumque ab ſe inuitatum rectà in frontem aduerſum habebat, quem in cornu dextro & imo ſuperbus collocarat.

CAPVT XVIII. ET VLTIMVM.

Vana Francorum argumenta pro ſeßione ad menſam ſupra Suecos: ſolida Hiſpanorum (ſi præſentes adfuiſſent) pro honoris ante illos prærogatiuâ.

FATETVR doctiſſimus Zypæus, ſe non inuidere Francis, quòd Reges ſuos efferant, eorum encomia, merita, titulos in cælum tollant, adeò vt vix aliqua diuulgetur diſſertatio, quin ex illis quæpiam in ſcenam producantur. Illis quoque dat veniam, qui parergôs ea dicunt, vt in comœdijs ſolent ludicræ quædam perſonæ interloqui, ad fallendum ſpectatorum tædium. *Sed*, addit, *tolerari non poſſe, vt aliquid fulcris eiuſmodi ſtabiliatur, quod nec cælo nec terrâ cohæreat; vt ſi diſputetur de* REGNORVM IVRE, *de ſucceßionum iuſtitiâ, de armorum æquitate, huiuſmodi* PALEÆ *miſceantur.* Id verò etiam nuper factum Norimbergæ, vbi Francorum Legati, vt præ Suecis menſæ aſſiderent, obiecêre iura Regni Francorum potiora, ſupremi gradus comparatione Regum titulos, ampullares prærogatiuas. Sueci contrà repoſuêre maiorem gentis, nominis & Regni Gothorum antiquitatem, pluralitatem Coronarum, multiplicem maieſtatem, ſeque Francis anteponendos aſſerüere.

In Hiatu Caſſani lib. 2. cap. 2.

An. 1650.

Ad hæc ſciendum, in Baſileenſi Concilio Nicolaum Raualium, Archiepiſcopum Vpſalenſem, Legatum ERICI VIII.

An. 1434.

Danorum, SVECORVM & Gothorum Regis, ceſſiſſe ordinis prærogatiuam Legatis Ioannis II. Regis Caſtellæ, vt
Anaceph. cap. 7. perſpicuè inſinuat Alphonſus de Carthagena, Burgenſis Archiepiſcopus. Hoc autem noſtro æuo Corona Suecica
Vide Vindic. Hiſpa. cap. 14. Francorum Regi locum denegat honoratiorem, ob cuius ambitum anno M. DC. XXXII. Ludouicus XIII. Franciæ
An. 1632. Rex à Guſtauo Adolpho, Suecorum, Gothorum & VVandalorum Rege, repulſam tulit. Vnde, quia iam olim Sueci digniorem locum ceſsêre Hiſpanis, hodieque προεδρίαν negant Francis, clara manet Hiſpanorum ſuper eiuſdem honoris petitores ſedendi, loquendi, ſcribendi & ambulandi prærogatiua. Hiſpani quippe Suecis pridem præiuêre: iſti autem ſe à Francis anteuerti iam non patiuntur. Si ergo Catholici Regis Legati præſentes adfuiſſent in Epulo Ducis Amalfitani (aberant autem, propterea quòd pacto Pacis Germanicæ non conſenſerant, quod ipſis erat maximè damnoſum) illis abſque dubio debita fuiſſet prærogatiua ſeſſionis ob rationes à me adductas in Vindicijs Hiſpanicis, Luminibus Prærogatiuis, & Lampadibus Hiſtoricis: ſed præſertim propter multitudinem Coronarum Regis Catholici, eiuſque potentiam alijs longè maiorem; pro quâ in pari præcedentiæ causâ hoc habemus iudicium Pij
Lib. 14. Hiſtor. Venetæ. Papæ IV. ex Petro Iuſtiniano: *Tridenti noua controuerſia ſuborta eſt de præcedentiæ iure inter* BAVAROS *&* VENETOS *Oratores; propoſitaq; eſt res Illuſtriſſimis Concilij Legatis: illi autem Venetæ dignitatis rationem habentes, blandis verbis Bauaros hortati ſunt, vt hæc miſſa facerent, diſparemq;* FORTVNÆ SVÆ *conditionem cum Venetâ conſiderarent; qui minimè acquieſcere voluerunt. Pontificis itaque declaratio à Româ petita eſt: honorificentiſſimè autem Sua Sanctitas de Venetâ Republicâ locutus, cui amplum terrâ mariq; aſſerebat patere* IMPERIVM, *ac* DVO *opulenta* REGNA, *Cretam & Cyprum, ſubiecta eſſe; Legatos per litteras admonuit, vt Bauaro*

Beati-

Beatitudinis Suæ nomine persuaderent, ne in eâ opinione persiste-ret, patereturq́, æquo animo, Venetum sibi præferri, qui mari-timæ terrestrisq́, ditionis MAGNITVDINE, *&* *amplioris for-tunæ* MAIESTATE, *vel Regium nomen sustinere posset.*

Bartholomæus Chassanæus, Heduensis Gallus, sic etiam pro Hispanis in Catalogo gloriæ mundi: *Videtur quòd* REX HISPANIÆ *sit omnibus alijs Regibus præferendus, cùm plura habeat Regna sub se, & plures Coronas: quoniam Rex est Ara-gonum, Castellæ, Legionis, Rex Granatæ, Rex Maioricarum, Rex Cordubæ; & etiam* CATHOLICVS *dicitur; Rex Galli-ciæ, Rex Andalosiæ: & sic dicitur habere septem aut octo Regna, & sic septem Coronas: ex quo videtur, quòd ratione multipli-cationis Coronarum debeat cæteris Regibus præferri.* Quid si haud ita multò pòst vidisset Chassanæus Catholicos Re-ges Orbis Americani maximos Imperatores, veriùs quàm Reges? iuisset haud dubiè pedibus manibusq́ue in senten-tiam Christophori Besoldi Antecessoris Tubingensis, qui litem præcedentiæ ex multiplici maiestate sic determinat: *In omnibus anteponendi sunt* MAIORES: *Hispanum autem Gallo maiorem esse manifestum satis videtur; cùm præter Hi-spaniam, Flandriam, & bonam Italiæ partem, ditioni & imperio eius subiectam; præter Siciliam vtramque, & quàm plurimas Insulas ei obedientes; ad* NOVVM INDORVM ORBEM, *ab Hispanis & Lusitanis repertum, cui ipse dominatur, quis re-spexerit; innumerasq́, ferè gentes & prouincias ipsi obedien-tes; inueniet ipsius* IMPERIVM *non solùm longius latiusq́, se porrigere, quàm aliorum Principum qui nunc sunt, sed et-iam omnium aliorum, qui ab origine mundi vnquam fuerunt. Dignitatem etiam ex eo arguit* HISPANVS, *quòd puram Catholicam Religionem (id enim & ipse fatetur Gallus) in omnibus suis Regnis obseruat. Diuitiæ etiam conferunt ad* MAIORITATEM, *quas nemo abundantiùs* HISPANO *habet. Nullus Princeps* HISPANIARVM REGE *nobilior, & in eo*

Parte 1. Conf. 37. An. 1529.

De Præce-dentiâ cap. 2.

omnium Regum ac Magnatum Orbis Christiani, qui vnquam fuerunt, sanguis coaluit.

Eminet igitur in Rege Catholico vetustissima NOBILITAS & multiplex MAIESTAS; ob quas *Maximilianus II. Imperator principis loci prærogatiuam in Aulâ Cæsareâ Legatis Caroli IX. Francorum Regis denegauit.* Vnde iustam belli Philippo II. Regi Catholico inferendi causam Carolo IX. suadebat Gaspar Colignius, Franciæ Thalassiarchus. Sed narrat alio loco Thuanus, in Concilio Tridentino *Oratores Francos, Ferrerium & Fabrum, inauditâ Italorum auribus libertate, in Pium IV. Pontificem verbis inuectos, quòd tanquam Pater impius* FILIVM PRIMOGENITVM, *hoc est Regem Christianissimum, inauditum, peruerso omni iudiciario Ordine condemnasset, ablatâ sessionis, quâ secundùm Imperatorem cæteros Orbis Principes præcedere est solitus, prærogatiuâ.* Atqui titulum illum *primogeniti Ecclesiæ filij*, vanam dignitatis imaginem Franci hauriunt à cælesti Regum suorum inunctione; quæ cùm falsa sit & conficta, iniustum erat quoque persuasum à Colignio bellum. At ecce litteras plenas humanitatis, quas in præcedentiæ argumento dedit ad Carolum IX. Franciæ Regem Maximilianus II. Imperator.

Thuanus lib. 51.

Lib. 35. An. 1563. Ex Comm. Iac. Burdini.

SERENISSIME ET CHRISTIANISSIME, *&c. Egit hucusque multoties Nobiscum summo studio Serenitatis Vestræ Orator, Reuerendus, deuotus, Nobis dilectus Episcopus Rhedonensis, vt sibi tanquam Oratori Serenitatis Vestræ priorem locum ante Oratorem Serenissimi Catholici Hispaniarum Regis, Patruelis & fratris nostri charissimi, in Aulâ nostrâ Cæsareâ assignare vellemus; eamq; rem ab aliquo tempore maiore cum instantiâ, quàm antehac vnquam, vrgere cœpit. Etsi autem Nos Serenitati Vestræ, vti fratri charissimo, quoad eius vnquam fieri potest, omni loco & tempore cupimus gratificari; in hac tamen re Nobis tot & tam graues occurrunt difficul-*

Ex Cancellariâ Imperiali.

difficultates, vt nihil ijs molestius aut grauius Nobis accidere possit: siquidem non videamus, quâ ratione desiderio præfati Episcopi Rhedonensis, Serenitatis Vestræ Oratoris, in hac parte satisfacere poßimus. Etenim recordamur eamdem rem à Sereniſsimo & Potentiſsimo quondam Principe Domino FERDINANDO, *electo Romanorum Imperatore Augustæ memoriæ, Domino ac Genitore nostro obseruantiſsimo, non solùm ob prædictum Episcopum Rhedonensem ex parte Serenitatis Vestræ, verùm etiam per præfati Sereniſsimi Patruelis & fratris nostri Regis Catholici Oratorem, qui tunc in Aulâ Maiestatis Suæ residebat, Comitem à Luna, vehementer petitam fuisse; verùm Maiestatem Suam Cæsaream præclariſsimæ memoriæ neque potuisse, neque voluisse iudicium tam acris controuersiæ suscipere: Quoniam non abs re dubitabat Maiestas Sua, si ipsa hunc laborem subire, & operam dare vellet, vt huiusmodi differentia aut amicabili compositione transigeretur, vel iure decideretur, vtrùm Serenitas Vestra Maiestatem Suam Cæsaream Iudicem vel arbitrum esse vellet, nec ne: eamq; ob rem Maiestas Sua Cæsarea adhibitâ maturâ deliberatione constituerat, sese eiusmodi controuersiæ nullo modo immiscere, sed omnibus modis præcauere, ne alterutrius partis iuribus, de quibus illa nullam haberet iudicandi vel decernendi facultatem, quippiam præiudicij attulisse, aut alterum eorum offendisse videretur; neque Maiestas Sua Cæsarea eam viam ac rationem, tanquam commodiſsimam & tutiſsimam, sibi ineundam censuit, de quâ haud dubiè Serenitas Vestra tum temporis ab Oratore suo certior reddita fuit, quam nimirum Maiestas Sua Cæsarea tunc inter alios quoque inferioris Ordinis Principum Oratores obseruabat. Et licet tunc temporis ambo Oratores de ratione & ordine illo Diui Imperatoris Genitoris nostri, & præcipuè multò vehementiùs Comes à Luna pro parte Sereniſsimi Regis Hispaniarum conquesti fuerint, prætendente ipso Oratore Sereniſsimi Regis Hispaniarum, maiorem debuisse*

haberi rationem Regis sui quàm Serenitatis Vestræ, propter mutuam & arctißimam sanguinis coniunctionem, quæ Maiestati Suæ Cæsareæ ipsiq; Regi intercederet: tamen postquam Diuus quondam Genitor noster in sententiâ suâ permansit firmiter, ipsiq; Oratores tunc acquieuerunt, atque interdum etiam apud Maiestatem Suam in templo comparuerunt; in eoq; statu res in hunc vsque diem fuit valida, ita vt nihil difficultatis aut molestiæ in hoc negotio amplius, & præsertim hoc tempore suborituram crediderimus. Sed cùm res, vti dictum est, aliter se habeat, prætermittere non possumus, quin Serenitati Vestræ per præsentes beneuolè ostendamus, Nos hunc Ordinem, de quo diximus, à prælibato quondam Domino Genitore nostro felicis recordationis quasi per manus traditum accepisse, atque Nos ea, quæ per Maiestatem Suam in alijs quoque rebus ordinata & constituta sunt, haud facilè mutare; sed ea, vt piè & prudenter deliberata atque constituta, lubenter sequi. Ideoq; non posse neque debere etiam in hoc negotio Nos diuersum quippiam ab eo, quod Diuus Genitor noster ordinauit, absque vllâ causâ, & post tot annorum interuallum statuere, quemadmodum Serenitas Vestra pro suâ prudentiâ ipsamet facilè considerare potest, id Nobis, si faceremus, non immeritò vitio verti posse. Ad hæc, Serenißimus Rex Hispaniarum, si tam facilè ab instituto & exemplo Serenißimi Potentißimiq; quondam Domini Genitoris nostri discederemus, eam rem haud dubiè molestißimè laturus, atque suspicaturus esset, Nos paternam concordiam, beneuolentiam & vnanimitatem, atque arctißima sanguinis vincula, quibus Deus Optimus Maximus Nos cum Serenitate eius coniunxit, parui pendere, imò prorsus negligere, atque de industriâ ansam & occasionem huiusmodi antiquam necesßitudinem & concordiam disrumpendi, nullâ prorsus à Serenitate Suâ causâ vel iniuriâ acceptâ, quærere. Etsi enim ad Nos antehac ex vrbe perlatum & nunciatum fuit, Sanctißimum Dominum super istâ controuersiâ decretum quod-

quoddam promulgasse, quod Nos suo loco relinquimus, neque id hoc tempore probare vel improbare cogitamus: nouit tamen Serenitas Vestra, ea quæ Sanctitas Sua in Curiâ suâ de rebus eiusmodi prophanis statuere & præscribere solet, ad Nos nihil pertinere: neque etiam credimus, animum Sanctitatis Suæ vnquam fuisse, vel adhuc esse, quòd Nos instar nudi executoris debeamus eiusmodi decreta & constitutiones Sanctitatis Suæ executioni mandare. Nam, quemadmodum Nobis videtur, non æquum est Nos indifferenter in omnibus rebus, in quibus Sanctitas Sua se iudicem constituit, simpliciter, & absque omni siue iudiciali siue extraiudiciali cognitione, iudicium & voluntatem Sanctitatis Suæ sequi. Hæc sanè omnia antedicto Serenitatis Vestræ Oratori, Reuerendo Episcopo Rhedonensi, sedulò ac diligenter inculcauimus; & fuisset Nobis longè gratissimum, quòd hoc negotium in pristino statu reliquisset, eo scilicet, quo ad Nos post mortem Serenissimi & Obseruantissimi Domini Genitoris nostri præclarissimæ memoriæ peruenit: sed ipse non solùm videtur se excusare mandatis Serenitatis Vestræ, sed cogitat etiam ex Aulâ nostrâ omninò discedere; quod Nobis quidem, vt verùm fateamur, molestum accidit, quia negotia Serenitatis Vestræ eâ prudentiâ, eâ modestiâ tractauit, & in alijs quoque rebus ita se gessit, vt hoc nomine deuotionem eius singularem benignitate complectamur, eiusq; præsentiâ & conuersatione lubenter diutiùs frueremur; sed quoniam res hoc loci redacta est, non possumus nisi quod Serenitatem Vestram amanter & fraternè rogamus, vt hæc, quæ acta sunt, animo certè sincero, & Serenitatis Vestræ amantissimo, cùm aliud facere nullo modo potuerimus, in meliorem partem interpretari, atque Nos hoc nomine excusatos habere velit. Neque dubitet, si Serenitati Vestræ videbitur, vel hunc ipsum Episcopum Rhedonensem ad Nos remittere, vel alium etiam ipsius loco Oratorem ad Nos ablegare, eum Nobis fore gratissimum; eamdemq; illi beneuo-

lentiam

lentiam & fauorem expectandum fore, quo hunc Reuerendum Episcopum Rhedonensem complexi fuimus: ac etiamsi Serenitati Vestræ non fuerit commodum posthac Oratorem aliquem in Aulâ nostrâ tenere; Nos tamen nihilominùs Serenitati Vestræ fraternum & sincerum animum nostrum, quouis loco & tempore declarare, & mutuis fraterni amoris officijs contestari studebimus. Id quod Serenitati Vestræ ingenuè pollicemur; eamdem, quod reliquum est, rectissimè valere optantes. Datum Viennæ XIV. *Decembris* M. D. LXIV.

Vide Lumen nostrum 18. prærogatiuum.

Ex hæc plenâ comitatis epistolâ constat, Francos, ex decreto quodam Pij IV. Summi Pontificis, apud Cæsarem haurire commodum voluisse: cùm tamen ipse supremus Christi Vicarius palàm declarasset in consistorio, XVIII. Augusti anno M. D. LXIV. *se in causâ præcedentiæ inter Reges nullam sententiam tulisse, paratumq́; (si partes petierint) iustitiam ministrare, & causam committere vel collegio Cardinalium, vel auditorio Rotæ.* Quod & Pius V. PP. confirmauit Diplomate dato Romæ anno M. D. LXVI. Dedit etiam alias litteras Maximilianus II. Imperator ad Catharinam Medicæam Franciæ Reginam, quæ sunt eiusmodi:

Ex eâdem Cancellariâ.

SERENISSIMA & CHRISTIANISSIMA, &c. *Dedimus nunc litteras ad Serenissimum & Christianissimum Principem, Dominum* CAROLVM *Franciæ Regem, fratrem & consanguineum nostrum charissimum, quibus Serenitati eius amanter communicauimus ea, quæ hîc inter Nos & Serenitatis Suæ Oratorem, Reuerendum, deuotum, sincerè Nobis dilectum Episcopum Rhedonensem inciderunt; ita vt idem Episcopus propterea nunc ex Aulâ nostrâ recedere statuerit. Quæ omnia cùm Serenitas Vestra ex ijsdem litteris nostris ad præfatum Serenissimum Regem, Serenitatis Vestræ filium, datis cognitura sit, noluimus committere, vt ijs hîc repetendis & commemorandis Serenitati Vestræ tædium aut molestiam*

adfer-

adferremus. Id tantùm hac breui epiſtolâ Nobis agendum cenſuimus pro noſtrâ erga Serenitatem Veſtram optimâ voluntate, & integerrimo animo, vt Serenitati Veſtræ ſignificaremus, & teſtatum redderemus, nihil à Nobis ſiniſtrâ intentione actum eſſe; ſed propter alias illas cauſas, quas Regi Chriſtianiſſimo explicauimus, aliter à Nobis non fieri potuiſſe; eaq́; propter Serenitatem Veſtram fraternè rogamus atque hortamur, vt non ipſa modò hæc in meliorem partem interpretari, verùm etiam, vt itidem à Sereniſſimo filio ſuo æquo animo accipiantur, curare velit; ſibiq́; planè perſuadeat, Nos nihil eorum vllo vnquam tempore aut loco prætermiſſuros vel neglecturos eſſe, quod ad tuendam, conſeruandam & ſtabiliendam inter Nos & vniuerſam Domum noſtram Auſtriæ, & Serenitatem Veſtram ac filium ſuum Chriſtianiſſimum, & inclytam iſtam Coronam, mutuam concordiam, pacem & beneuolentiam pertinere cognouerimus, ſed ea omnia candidè, ſincerè ac ſummo ſtudio procuraturos eſſe; quemadmodum viciſſim ex parte Serenitatis Veſtræ, ac filij ſui Sereniſſimi eamdem integritatem & bonam voluntatem Nobis ſemper expectandam fore arbitramur. Et ſic Serenitatem Veſtram, quod reliquum eſt, rectiſſimè valere optamus. Viennæ XIV. *Decembris* M. D. LXIV.

Habemus prætereà FERDINANDI III. Cæſaris pro Legatis Catholici Regis nuperum hoc decretum.

SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATI, *Domino noſtro Clementiſſimo, diligenter & accuratè relata fuerunt, quæ eidem nomine Sereniſſimi Hiſpaniarum Regis Catholici, eiuſdem ad Aulam ſuam Cæſaream Reſidens, Conſiliarius & Senator Mediolanenſis, Dominus Auguſtinus Nauarro Burena, ex occaſione actuum quorumdam à Coronæ Franciæ Miniſtris in Ciuitate Monaſterienſi, contra* IVS PRÆCEDENDI *dictam Coronam in terris dictæ Sacræ Cæſareæ Maieſtati & Sacro Imperio ſubditis, quod dictus Sereniſſimus* Ex eâdem Cancellariâ.

Rex Catholicus, cùm ex diuersis decretis & declarationibus Cæsareis, tum per frequentissimos actus possessorios, hactenus obtinuerit & manutenuerit, vsurpatorum; humiliter exposuit rogando, vt cùm ex rationibus, quibus adducti Prædecessores gloriosæ memoriæ Maiestatis Cæsareæ, in fauorem Serenissimorum Regum Catholicorum prælibatas declarationes & decreta fecissent, pro eâ, quæ inter eamdem & memoratum Regem Catholicum, tam sanguinis quàm fœderum, aliorumq; vinculorum intercedit necessitudine, eamdem causam pro sæpè dicto Rege Catholico manutenendam suscipere, suisq; Plenipotentiarijs Monasterij residentibus demandare vellet, ne quod præiudicium dicto Regi Catholico quoad hoc afferri permittant; sed quantum in se est, idem IVS PRÆCEDENTIÆ *Ministris eius debitum, conseruare laborent: casu etiam quo id fieri non posset, potiùs ab omnibus actibus publicis, vbi hæc causa controuerteretur, se excusent. Ac si Galli aliquid exorbitans contra causam, vel personas Ministrorum Regis Catholici attentarent, tum Ministri Cæsarei se declarent, atque stent pro parte Plenipotentiariorum Regis Catholici; quemadmodum fœderati Coronæ Galliæ cum eius Ministris faciunt. Quibus omnibus eadem Sacra Cæsarea Maiestas diligenter & maturè consideratis, benignè indicare dicto Domino Senatori iussit, se probè informatum, ex rerum præteritarum memorijs, de iure sæpè dicti Serenissimi Regis Catholici, quoad prælibatam* PRÆCEDENDI CORONAM FRANCIÆ *prærogatiuam, memoremq; eius, quæ sibi cum eodem tam arcta ex tot quà sanguinis, quà fœderum vinculis constet, coniunctionis; pro singulari suâ, quam rerum & dignitatis sæpè memorati Serenissimi Regis Catholici continuò gerat, curâ, sponte suâ, & antequam à quocumque hac super re interpellaretur, id operæ dandum intellexisse, ne quid in præiudicium dictæ* PRÆROGATIVÆ PRÆCEDENDI, *iam pridem in Aulâ Cæsareâ, & conuentibus publicis sacri Romani*

mani Imperij, Regi Catholico eiusq́ Ministris acquisitæ ac conseruatæ, in eo qui nunc Monasterij celebratur congressu committeretur: ideoq́ cùm ipsi, hoc rerum statu ac tempore, in exordio præsertim condictorum Pacis Tractatuum, rem hanc vi aut armis committere, neque tempestiuum neque facile visum fuisset; Plenipotentiarijs suis illic commorantibus iniunxisse, vt quamuis occasionem, vbi hoc causæ in contentionem deduci posset, vitarent; idq́ mandatum suum diuersis litteris & rescriptis suis renouasse. Nunc autem posteaquam aliunde etiam intelligat, sæpè memoratum Serenissimum Regem Catholicum in hoc secum consentire, quòd eam rem in contentionem armorum hoc tempore, ac in dicto congressu deduci, scandalosum ac fortè etiam periculosum sit futurum, tantò lubentiùs facturum, vt prænominatis Plenipotentiarijs suis denuò rescribat, iniungatq́ non modò, ne in quem actum, quem Serenissimo Regi Catholico, quoad sæpè dictam PRÆROGATIVAM, *præiudicialis esse posit, consentiant; sed omnes potiùs occasiones, vbi in contentionem venire posset, prouidè sedulóq́ euitent: quòd si etiam quid factum fuerit, quo quis* IVRI *Serenissimi Regis Catholici, quoad hoc, aliquid derogatum censere posset, vt ijdem Plenipotentiarij sui, re cum Plenipotentiarijs Serenissimi Regis Catholici deliberatâ, dent operam, vt quatenus citra præiudicium praeminentiæ Cæsareæ, & turbas ac impedimenta Pacis Tractatuum, posit fieri, id simili vel alio actu in contrarium facto, dexterè reparetur: ac demum si à Plenipotentiarijs Regis Galliæ vi, vel aliter in contrarium aliquid exorbitans attentaretur, vt Plenipotentiarij Cæsarei sese cum Legatione Serenissimi Regis Catholici coniungere, omnemq́ operam suam ad conatus Plenipotentiariorum Gallicorum reprimendos, omnemq́ actum præiudicialem, quoad hoc, auertendo pro virili, conferre debeant. Per Imperatorem in Consilio suo secreto, Eberstorff, die* XXIII. *Septembris anni* M.DC.XLIV. *Vidit Ferdinandus Comes Curtius. Ioannes VValderode.*

N 2 Quod

An. 1650. Quod supereſt, prodijt nuper Lutetiæ Liber Gallicus *de Præcedentiâ Regum Franciæ Imperatorem ſupra & Regem Hiſpaniæ, auctore Auberio, Aduocato Pariſienſi*; in quo, vt contra Auguſtiſſimi Cæſaris Maieſtatem multa inania profert; ita & aduerſus Catholici Regis cognitam ſublimitatem, ſummoque ac peramplo iure poteſtatem, ad ea, quæ ab alijs iam obiecta pluribus confutaui, præter noua iurgia & conuitia vix quidquam addit. Circumſpectione maiori Hieronymus Bignonius, vbi Regum Regnique
Lib. 4. pag. 483. Francorum tuetur excellentiam, temperatè iſthæc adijcit: *Non eſt, quòd vllo modo velim deprimere vel imminuere dignitatem* REGIS HISPANIÆ, *qui agnoſci debet pro Magno Principe ac Domino multorum Statuum atque terrarum, quæ noſcuntur ipſi quæſitæ, & in eo vnitæ non abſque* COELESTI FAVORE; *multoq; conſilio, prouidentiâ & prudentiâ ab ipſo conſeruatæ.*

COROL-

COROLLARIVM.

Videri, Clodoueum I. Regem à S. Remigio Remensi baptizatum non fuisse, sed è sacro Baptismi Fonte dumtaxat susceptum.

DVM excuditur Antuerpiæ Disquisitio nostra de Ampullâ Remensi, mentem meam subijt, ab omni hominum memoriâ in Ecclesiâ Dei alium fuisse baptizantem, & alium susceptorem, seu sponsorem, quem nos *Patrem lustricum*, aut *Patrinum* vulgò appellamus. Vnde cùm S. Remigius Clodouei Regis susceptor fuerit (vt statim docebimus) sequitur, eumdem non à S. Remigio, sed ab alio quopiam tinctum aquis Baptismi piacularibus. Ministri quippe baptizantis munus erat, lustrandum in aquam mergere, & iam lotum consignare sacro Chrismate, iuxta morem à Tertulliano obseruatum: *Exinde egressi de lauacro*, inquit, *perungimur benedictâ vnctione*, DE PRISTINA DISCIPLINA, *quâ vngi oleo de cornu in Sacerdotium solebant*. Susceptoris verò partes erant, candidatum ad Sacerdotem ducere, eius vadem & sponsorem se præbere; iamque lustratum aquâ, & Chrismate vnctum, è sacro Fonte, vt spiritualem filium suscipere: nam vt infantes cùm nascuntur, *suscipi* dicuntur à parentibus; sic & baptizati etiam dicuntur à Patrinis *suscipi*, quia vitalis aquæ virtute sunt renati. Id quod in adultis etiam vsitatum colligitur ex laudato Florente Tertulliano, cuius hæc sunt verba: *Ingressuros Baptismum, orationibus crebris, ieiunijs, & geniculationibus, & peruigilijs orare oportet.* item ex Paulo Diacono: *Regina Persarum priuato habitu, propter Christianæ fidei amorem, Constantinopolim venit; ibiq; ab Imperatore honorificè suscepta, post aliquot dies,*

Lib. de Baptismo cap. 7.

Lib. de Baptismo cap. 20.

Lib. 4. de Gestis Longob. cap. 17.

dies, vt desiderabat, BAPTISMVM *consecuta, & ab Augusto* DE FONTE LEVATA *est.* tum ex Victore Vticensi: *Fuit quidam Elpidiphorus nomine, qui fuerat apud nos in Ecclesiâ Fausti* BAPTIZATVS, *quem Venerabilis Murita Diaconus* DE ALVEO FONTIS SVSCEPERAT. *Post verò dum apostataret, tantæ extitit feritatis aduersus Ecclesiam Dei, vt superior omnibus executor persecutionis fuisset inuentus.* Sic etiam Tiburtium iuuenem sapientissimum cùm baptizasset S. Polycarpus, *eius Pater susceptionis, vel* SVSCEPTOR *factus est beatus Sebastianus.*

Lib. de Persec. Vandal.

Surius 20. Ian.

Clodouei Regis ministrum baptismalem præcipuum fuisse S. Solemnem Episcopum Carnotensem, indicare videntur ista quæ leguntur in eius Vitâ de ipsomet Clodoueo: *Misit Legatos ad beatum* SOLEMNEM, *vt eum* BAPTISMI *vndâ perfunderet, in quâ vita eius à crimine expiaretur.* Susceptorem verò, seu Spiritalem in Baptismo Clodouei patrem fuisse S. Remigium Remensem, ipsemet clarè aperit in supremis suis tabulis, vbi in hunc modum loquitur: *Aliud argenteum vas, quod mihi Domnus inlustris memoriæ* HLVDOWICVS, QVEM DE SACRO BAPTISMATIS FONTE SVSCEPI, *donare dignatus est, vt de eo facerem quod ipse voluissem, tibi Heredi meæ Ecclesiæ suprà memoratæ iubeo turriculum & imaginatum calycem fabricari.* Ad hæc tam diserta Sancti Præsulis verba, obsecro, quid Hincmarus: ista scilicet; *Columbam niue candidiorem attulisse in rostro* AMPVLLAM *Chrismate Sancto repletam, de quo fudit Remigius in Fontem sacratum; Regem verò petiisse se à sancto Pontifice baptizari; & sic post confeßionem orthodoxæ fidei, ad interrogationem sancti Pontificis, secundùm Ecclesiasticum morem,* BAPTIZATVM *esse trinâ mersione, in nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti; &* SVSCEPTVM *ab ipso Pontifice* DE SACRO FONTE, *perunctum fuisse Chrismate cum signo Sanctæ Crucis Domini nostri*

Ex MS. S. Maximini Treuir. 25. Sept.

Vide suprà Cap. 3.

In Vitâ S. Remigij.

noſtri Ieſu Chriſti. Sed cùm haud certum ſit Clodoueum à S.Remigio baptizatum, hoc eſt, ſalutari aquæ immerſum, & Chriſmate vnctum; nullâ quoque ratione ſit veriſimile, ipſi miſſam cælitus Ampullam Chriſmatis, quo Clodoueum inungeret. Præterquam quod à vero aberrat Hincmarus dum dicit, *Regem à ſancto Pontifice* BAPTIZATVM, *& ab ipſo de ſacro Fonte* SVSCEPTVM: quæ duo ab vno & eodem Sacris operante in Baptiſmo ſolemni aliquando peracta fuiſſe, mihi hactenus inauditum. Quod enim obijci poſſet ex Baudemundo in Vitâ S. Amandi, non probat, Sigebertum, Dagoberti Regis filium, à S. Amando fuiſſe baptizatum, & ſimul de ſacro Fonte ſuſceptum. Quin imò de Sigeberto illo ſic diſertè Aimoïnus: *Statim igitur ſanctus Antiſtes* [Amandus] *eum* REGENERAVIT, *quem* ARIBERTVS *Rex de ſacro Fonte* LEVAVIT. Aribertus Rex Aquitaniæ frater erat Dagoberti, Patruus & Patrinus Sigeberti pueri, qui poſtmodum factus Auſtraſiæ Rex, in Sanctorum ordinem eſt adlectus. Surius 6. Febr. Lib. 4. cap. 20.

Haud abſimilis nodus ſe prodit in adulterato S. Remigij teſtamento, in quo etſi ter & cum affectatione repetit S. Remigius, HLVDOVICVM *Regem à ſe de ſacro Baptiſmatis Fonte* SVSCEPTVM: de Regibus Francorum deinde, hoc eſt, de Clodouei filijs, ſic fatur: *Quos per* BAPTISMVM *Ieſu Chriſti, dono & gratiâ Spiritus ſancti cooperante, conſecraui*. Tum inferiùs de Regio eodem genere: *Quod in Regiæ Maieſtatis culmen perpetuò duraturum elegi*, BAPTIZAVI, *de ſacro Fonte* SVSCEPI. Certè quiſquis teſtamentum illud fictitium ordinauit, ſacrorum rituum haud gnarus fuit: ſi enim Regum in Baptiſmo ſuſceptor erat S. Remigius, eorumdem baptiſtes eſſe non poterat; vel ſi baptiſtes, minimè poterat eſſe ſuſceptor. Sed verè Clodouei Regis ſuſceptor fuit S. Remigius, qui in ſuis ſinceris vltimæ voluntatis tabulis, quas edidimus, ſemel tantùm Flodoard. lib. 2. cap. 45.

&

& modestè insinuat, *inlustris memoriæ* HLVDOWICVM *à se de sacro Baptismatis Fonte* SVSCEPTVM: quod est, fuisse lustralem eius patrem, seu Patrinum: quemadmodum Ragnemodus, Parisiensis Episcopus, Theodoricum, Chilperici filium, de sacro Baptismi lacu excepit, Gregorio Turonensi teste; vbi de Chilperico Rege: *Dies Paschæ cum multâ iocunditate tenuit, filiumq; suum* BAPTISMO *tradidit, quem* RAGNEMODVS, *ipsius vrbis Sacerdos, de* LAVACRO SANCTO SVSCEPIT, *ipsumq; Theodoricum vocari præcepit.* Quæ verba sic breuiter exprimunt San-Marthani fratres: *Thierry de France eut pour* PARRAIN *Raimond Euesque de Paris, l'an* D. LXXXVII. *mais il deceda en l'an suiuant.* Similiter de Theodorico, Childeberti II. Regis Austrasiæ filio, idem Gregorius: *Eo anno Childeberto Regi alius filius natus est, quem* VERANVS *Cabillonensis Episcopus* SVSCIPIENS A LAVACRO, *Theodorici nomen imposuit.*

Lib. 6. cap. 27.

Lib. 3. cap. 11. edit. 3. An. 587.

Lib. 9. cap. 4. An. 590.

Ceterùm si quærat aliquis, quâ argumenti specie Franci inducti fuerint, vt crederent, Clodoueum Regem à S. Remigio baptizatum; hanc à me rationem accipiet, quòd S. Remigius cæremoniæ lustralis particeps fuerit, candidati Regis magnus fideiussor; vnde latiore baptizandi significatu Scriptores sint vsi, haud aliter quàm Auctor Vitæ S. Solemnis Episcopi Carnotensis, cuius de Clodoueo verba ampliora non pigebit iterùm hîc adferre: *Misit Legatos ad beatum* SOLEMNEM, *vt eum* BAPTISMI *vndâ perfunderet, in quâ vita eius à crimine expiaretur: qui adiuncto sibi S.* REMIGIO, *Remensium vrbis Episcopo, diuinâ feruentem virtute Regem cum summâ alacritate* BAPTIZAVERVNT. Vbi nempe suo quisque functus est munere; Solemnis quidem Episcopus, vt minister baptizans; Remigius verò Archiepiscopus, vt de sacro Fonte susceptor, quemadmodum ipse conceptis asseuerat verbis. Idem ordo seruatus est in lustratione sacrâ Ludouici III. Imp. & Lotharingiæ Regis, *quem*

Ex MS. cit.

Annales Fuldenses an. 893.

Otingæ

Otingæ natum, Hado *Moguntiacensis Archiepiscopus*, *&* Adalpero *Augustæ VVindelicorum Episcopus, sacro Fonte Baptismatis* Crismantes, *nomine aui sui*, Hlvdowicvm *appellauerunt*. Adalbero scilicet Episcopus Baptismo inaugurauit; Hado verò, siue Hatto Archiepiscopus suscepit ex lauacro, eique nomen indidit. Sensus eiusdem formulâ vsus est quoque S. Auitus Viennensis, vbi agens de Baptismo Clodouei; *Cùm adunatorum*, inquit, *numerus Pontificum, manu sancti ambitione seruitij, membra Regia vndis vitalibus confoueret*. Cùm tamen Episcoporum vnus dumtaxat, Solemnis scilicet, baptizantis munere fungeretur. Illam porrò sanctam Præsulum societatem sic expressit egregiè Andreas Saussaius in Martyrologio Gallicano: *Francorum conuersionem, ad Christi Redemptoris salutare obsequium, zelo Apostolico adorsus* Solennis, *sic prosperè cœlesti aspirante gratiâ huic curæ incubuit, vt piæ intentionis fructum vberem tandem perficeret: felici enim* contesseratione *cum sancto* Remigio, *Remorum Archipræsule, beatoq́;* Melanio, *Redonensi Episcopo, ac sancto* Vedasto *tunc presbytero initâ*, Clodovevm *Regem à nefando idolorum cultu abduxit, Fideiq́; sacris imbutum, gentis huius primitias Christo, cui tam excelsum caput subdidit, consecrauit.*

Serarius lib. 4. Rer. Mogunt. in Hattone. Epist. 41.

25. Sept.

PARERGON DE VNCTIONE REGVM, CONTRA IACOBVM ALEXANDRVM TENNEVRIVM, FVCATÆ VERITATIS ALTERVM VINDICEM, AC FABVLÆ AMPVLLARIS NOVISSIMVM ASSERTOREM.

VIX à Corollario manum depoſueram, cùm accepi Lutetiâ vmbraticum quoddam, ſed contumelioſum in me opus Iacobi Alexandri Tenneurij, qui ex indicibus vocum maledicas omnes, & atrociores quidem, videtur delibaſſe, vt vnà in me conijceret; iſque tandem in fine libri, poſtquam bilem atram copiosè euomuit, turpis facti conſcius, vel monitus, me ſic alloquitur Auguſtini verbis:
Pag. 387. *Da veniam, ſi quid liberiùs dixi, non ad contumeliam tuam, ſed ad defenſionem noſtram: præſumpſi enim de grauitate & prudentiâ tuâ, quia potes conſiderare, quantam nobis reſpondendi neceſſitatem impoſueris.* Poterat certè Tenneurius, ſi cordatus fuiſſet, vrbaniùs in ſuâ lite dicere; ſed thriſopolas mulieres imitari voluit, quæ in malâ vel ancipiti causâ, impotentes ſui, ad conuitia illicò deſcendunt. Illi tamen ignoſco lubens, & gratias habeo maximas, quòd
Pag. 199. nouo titulo, quo æternùm gloriabor, me HISPANISSIMVM vocet; nec triumphali curru, ſed iniuriarum plauſtro vectus, anſam mihi præbeat magni Catonis virtutem iteratò æmulari; cui cùm cauſam agenti in frontem mediam faſtuoſus & impotens Lentulus inſpuiſſet, abſterſit
Seneca 3. de Irâ cap. 38. faciem; & *affirmabo*, inquit, *omnibus, Lentule, falli eos qui*

qui te negant os habere. Ingens animus non vindicat iniuriam, quia non ſentit. *Vt* enim *tela à duro reſiliunt, & cum dolore cædentis ſolida feriuntur; ita nulla magnum animum iniuria ad ſenſum ſui adducit, fragilior eo quod petit.* Non inanibus turbor & friuolis. Fero ægri ſomnia, quamquam ingenuè fatentis, *videri* OBDORMISSE *per nouem ſæcula* IVS SALICVM, *& obliuioni traditum fuiſſe.* atque alibi: *Nullum vnquam extitiſſe Regnum, Imperium aut Rempublicam, quæ fines ſuos longiùs* [Hiſpano] *protenderit, aut huius tam vaſtæ Dominationis extenſioni æquiparari potuerit.* Tanta vis eſt veritatis, vt vbique præualeat, etiam apud hoſtem. Sed quod noſtri eſt inſtituti in præſens, dum euoluo illas *Falſi* veriùs, quàm *Veritatis Vindicias*, deprehendo incidiſſe Auctorem in retia, quæ ſibi ipſe poſuit. Sic enim ille de ſuorum Regum prærogatiuâ, quam ab vnctione deſumit: *Antiquiſſima Reges inungendi conſuetudo in noſtris præcipuè Regibus eminet, & inſignis eſt, notatuq́ dignißima. Cùm enim aliqui Reges oleo ab hominibus conſecrato oblini ſoleant; id ſanè Chriſtianißimis proprium & peculiare eſt, quòd oleo diuinitus miſſo, & (quæ non mediocris gratia eſt) ijs ſpecialiter deputato, à multis ſæculis inungantur.* Adducit deinde Hincmarum Remenſem, cuius errores hiſtoricos iam detexi; & alium prætereà hîc addo ex doctiſſimo Valeſio: *Hincmarus de Vitâ S. Remigij, & Rorico Monachus, nullâ perfidiæ Godegiſili mentione factâ,* FALSO DICVNT, *Chlodoueum impulſum ab vxore ſuâ, Gundobado & Godegiſilo iunctis bellum intuliſſe, amboſq́ circa Diuionem acie fudiſſe.*

Cap. 5. Pag. 83. Pag. 311. Pag. 271. Suprà Cap. 6. 7. & 14. Lib. 6.

Quod attinet ad librum de Vitâ S. Remigij, quem Gregorius Turonenſis laudat, & in quo (ſi Tenneurius benè diuinat) tota & plenior habebatur Clodoueani Baptiſmi hiſtoria: ſi in eo deſcripta fuiſſet Ampullæ cæleſtis miſſio, Gregorius abſque dubio illam non prætermiſiſſet, qui

Pag. 275.

Lib. 2. cap. 31. ſolùm notat, ſcriptum in eo libro, *mortuum quemdam à S. Remigio ſuſcitatum fuiſſe:* quod viri ſancti opus ſupra vim naturæ perpetratum non tanti Francis intererat, ac miſſum cælitus ſimpulum pro Regis vnctione.

Pag. 273. 274. Agit poſtmodum aduerſarius de curatione ſtrumarum, *ſupernaturali*, vt ipſi placet, *dono.* tum ſubiungit: *Verùm aduerſus hæc præſtantiſſima Regibus noſtris conceſſa* DIVINITVS DONA *inſurgunt Hiſpani, nec mediocriter obmurmurant: ad* CHIFLETIVM *enim quod attinet, ea huc vſque* ATTINGERE NON AVSVS EST. Hîc vides, Tenneuri, vt non ſim auſus figmenta illa feriò aggredi, aduerſum quæ non tantùm Hiſpani obmurmurant, ſed etiam doctiores Franci, quos adduxi, dum ſolui obiectiones Vindicis Gallici, quem vocas *virum eximium, anonymum quidem in libro* (veriùs, in libello) *magni tamen nominis, & de Franciâ optimè meritum.* Dudum ſciebam quiſnam eſſet anonymus ille Vindex, ſed laruato declamatori peperceram. Nunc ſi aliquod operæ pretium fuerit, latebit neminem, DANIELEM PRIEZACVM eſſe auctorem Vindiciarum Gallicarum, qui antehac deliteſcens, nuper præfixit epiſtolam libro Tenneurij; cui ridiculè adulatur hiſce verbis: *Iam veritatis arcem occupas ita munitam, vt ad te laceſſendum, aut deijciendum, nemo in poſterum audeat aſpirare.* Nulla eſt ſublimior arx ipſo cælo: videat Tenneurius, quo modo ſuum cæleſte ſimpulum tueatur, ne non in alto mundi vertice, ſed in imo terræ ſolo ortum eius nanciſcatur.

Suprà Cap. 13. Pag. 261.

Pergis porrò, Tenneuri, & ſic aduerſus Armacanum, (non auſus contra Valeſium) *Ex aſſertâ*, inquis, *Clodouei, Cariberti & Guntramni vnctione non obſcurè colligitur, vſitatam tunc temporis fuiſſe apud Francos Regum vnctionem, ideoq́; omnes reuerà à Clodoueo ad Pipinum ſacro oleo fuiſſe delibutos, ſiue de cetero Remis, ſiue alibi id factum fuerit.* Non tamen aſſerüiſti Regiam Clodouei vnctionem, niſi ex

Pag. 278.

confictо

confićto S. Remigij teſtamento, quod nullius eſt auctoritatis. Cariberti verò Pariſiorum, Guntramniq́ue Aurelio-rum, è Merouingâ ſtirpe Regum, manifeſtam vnctionem probare niteris ex iſtis Iuonis Carnotenſium Epiſcopi verbis: *Iſti quippe Reges nullam à Remenſi Archiepiſcopo* BENEDICTIONEM *vel Coronam acceperunt; ſed à Sacerdotibus Prouinciarum, quas regebant, ſublimati ſunt & SACRATI.* Epiſt. 189.
Ex quibus ſolùm conſtat, Reges illos *ſacratos* fuiſſe, hoc eſt, *benedictos*, quemadmodum ipſe Iuo inſinuat, cùm ait, *illos nullam à Remenſi Archiepiſcopo* BENEDICTIONEM *accepiſſe*; nullâ illorum vnctionis factâ mentione, vt de alijs Regibus Carolingis & Capeuingis; de quibus poſteà ſic loquitur. De Pipino & eius filijs: *Nec Remis, nec à Remenſi Archiepiſcopo, in Reges ſublimati ſunt, nec* INVNCTI. De Ludouico Balbo & eius vxore: *A quibuſdam Epiſcopis in Reges ſunt* CONSECRATI *& coronati.* De Odone, Hugonis Capeti propatruo: *Tutorem Caroli pueri, Regniq́, elegêre gubernatorem, quem* VNXIT *VValtherus Archiepiſcopus Senonum.* De Rodulfo Rege: VNCTVS *eſt in Regem tertio Idus Iulij, Sueſsionis ciuitate.* De Ludouico Tranſmarino: *Quarto Cal. Iulij* VNCTVS *eſt in Regem apud Laudunum.* De Roberto, Hugonis Capeti filio: *Aurelianis in Regem* CONSECRATVS *eſt & coronatus.* De Hugone, Roberti filio: *Compendij eſt* VNCTVS, *& in Regem ſublimatus.* In quibus, velis nolis Tenneuri, obſeruare compelleris primò; *vnctionem* & *conſecrationem* ab Iuone pro vno & eodem ritu accipi; quandoquidem vbi quempiam Regem *vnctum* ait, non adijcit fuiſſe *conſecratum*; vbi *conſecratum* ſcribit, non addit fuiſſe *vnctum*. Secundò, ab eodem Iuone *ſacrationem* à *conſecratione* manifeſtè diſtingui: illam quippe ſcienter *benedictionem* vocat, tribuitq́ue ſolis primæ ſtirpis Regibus; iſtam verò ſecundæ & tertiæ. Ad quæ audire iuuat Hubertum Morum: *Sunt qui putant initio* Lib. 3. cap. 2.

SACRANDORVM *Franciæ Regum alios fuiſſe ritus, quàm qui ab aliquot ſæculis, id eſt à tempore Ludouici Iunioris, obſeruari noſcuntur.* Nec immeritò: Regum enim primæ ſtirpis ſacratio fiebat (vt ex Iuone colligitur) per fauſtas precationes, ſiue *benedictiones*; per quas etiam panis factus *ſacer*, & aqua *ſacra*, quæ ſunt ſacramentalia, à Francis vulgò dicuntur *Panis benedictus*, & *Aqua benedicta.* Ad rem B. Petrus Damianus (qui obijt anno M. LXXX. Iuoni Carnotenſi ætate par) in Vitâ MS. Sancti Romualdi: *Priùs cum* SACRIFICATA *aquâ* (id eſt benedictâ) *& incenſo thure, vndique perluſtrans ignem, dein ſtridentes flammarum globos ingreſſus, exiuit illæſus.* Sed & etiam *Sacrificium* ſignificato latiori ſumebatur olim pro purâ prece & oratione, vti Cerda rectè explicat Tertulliani verba: SACRIFICAMVS *pro ſalute Jmperatoris.*

19. Iunij cap. 29.

Ad Scapulam cap. 2.

Benè ominatas preces, per quas *benedici* ſolebant Francorum Reges, adfert Hubertus Morus; quibus poſtmodum, tempore Pipini, ſubiuncta fuit vnctio, quæ priùs apud Francos audita non fuerat. Illa ergo Regum *benedictio* pro *ſacratione* olim habita fuit, vel idcircò maximè, quòd ſtatim fieret poſt præſtitum à Regibus iuſiurandum, quod recitat laudatus Morus: vnde Reges *benedicti*, & ſacramento obſtricti, rectè ab Iuone dicti ſunt *ſacrati*; vt milites, qui caſtrenſe ſacramentum dixerant, Capitolinus vocat SACRATOS *commilitones.* de illis Vegetius: IVRARE *ſolent: & ideò militiæ* SACRAMENTA *dicuntur. Iurant autem per Deum, & Chriſtum, & Spiritum ſanctum, & per maieſtatem Imperatoris, quæ ſecundùm Deum generi humano diligenda eſt & colenda.* SACRARE igitur idem etiam erat, ac voto ac ſacramento obſtringere, & ſic *ſacrum facere.* Vnde Virgilius de Auguſto:

Lib. 3. cap. 4.

In Gord.

Lib. 2. de Re milit. cap. 5.

Aen. 8.

—— *Dijs Italis* VOTVM *immortale* SACRAVIT.

Conſecrare autem, peritiſſimo antiquorum rituum Iuoni,

ampliùs

amplius quid eſt, quàm *ſacrare: eſt* enim *ſacrare ſimul*, & cum oleo vel vnguento illinire: vti etiam vſurpatur à Iulio Firmico, vbi de Lunæ ſidere: *Aut templorum fabricatores faciet, aut ſimulacrorum* CONSECRATORES: hoc eſt, vt ego interpretor, non dicatores ſolùm, ſed etiam ſimul vnctores. Vngebantur enim Deorum ſtatuæ, vt ſacratiores fierent; quas Arnobius idcircò vocat *lubricatos lapides, & ex* OLIVI VNGVINE *ordinatos*; & Apuleius, *lapides* VNGVINE *delibutos*.

Matheſ. lib. 4. cap. 7.

Lib. 1.

Florid. 1.

Quantùm ad cetera, mos ille ſacrandi per orationes, ſeu benedicendi Reges, à Chriſtianis manauit Imperatoribus. Sic enim Corippus Africanus de Iuſtini minoris inauguratione:

Lib. 2. cap. 5.

Pontificum ſummus, plenâque ætate venuſtus,
Aſtantem BENEDIXIT *eum, cœlique potentem*
EXORANS *Dominum, ſacro diademate iuſsit*
Auguſtum ſancire caput, ſummóque CORONAM
Imponens apici.

Tum paucis interiectis:

Ipſe coronatus SOLIVM *conſcendit auitum.*

Hîc habes benedictionem per preces, coronationem atque ſublimationem, ſed abſque vnctione. Ita nihilominùs inaugurati Imperatores vocabantur *ſacri* & *ſacrati*, Maieſtas eorum *ſacra*, epiſtolæ *ſacræ* & *diuales*, vultus in ſignis *diuini*; quibus à militibus exhibitus honos & veneratio. Antiquiùs verò Cæſares non dicebantur *conſecrati*, niſi cùm iam mortui, & ad rogum *vncti*; non quidem per viliorem ſeruum aliquem, vt alij gradus inferioris homines fato functi, ſed (vt ſcitè Tertullianus) *per Pollinctorem Sacerdotem*, qui ſcilicet mortuum vnctione conſecraret: vnde in nummis, poſt funus Principi executum cuſis, frequenter ſcriptum occurrit CONSECRATIO pro Apotheoſi, ſeu Deificatione. Maneat igitur fixum ac determi-

In Scorp. cap. 7.

terminatum, Reges Francorum primæ ſtirpis non fuiſſe *conſecratos*, id eſt, *vnctos*; ſed *ſacratos* dumtaxat; quod eſt, præuijs precibus, & ſacramento ſeu iureiurando, ab Epiſcopis *benedictos*, & in Regni ſolio conſtitutos.

Lib. 1. cap. 10. Accedit Gothorum, aliorumque in Hiſpaniâ Regum vnctio, de quâ etſi ante me egerit Armacanus, illam ego temporum ordine, & pluribus quàm ille exemplis & Au-

Suprà Cap. 16. ctoribus firmaui. Sed negat Tenneurius, Recaredum Regem ex eo, quòd dicitur *Regno coronatus*, inde ſequi, priùs

Pag. 278. inunctum fuiſſe: *Vt vt enim*, ait, *coronatio vnctionem complectatur ex antiquo Eccleſiæ ritu vulgariter loquendo*; *fallit tamen hæc regula in ijs Regibus, qui nullâ præuiâ vnctione coronantur*. Eiuſmodi fuêre Francorum Reges primæ ſtirpis, vt ex Iuone oſtendi. Sed Hiſpaniæ antiqui Reges ante coronationem vngebantur *ſecundùm legem Dei, & conſuetudinem Regum priorum*, vt clarè docui loco allegato.

Pag. 257. Quod ſpectat ad titulos honorificos, quibus vtuntur Franciæ Reges, quandoquidem ab Ampullâ cæleſti eos deriuent Franci, & Hubertus Morus maximè, quem Ten-

Pag. 272. neurius vocat *doctiſſimum Canonicum Remenſem*; cuius laudat *egregium tractatum de ſacris Vnctionibus*; certè quia Ampulla illa iam Cæleſtis eſſe definit, neceſſe eſt etiam, vt vnà corruant deprompti ab eâ & deriuati Regum tituli.

Præfat. ad Lect. Ceterùm, ſi, quod ipſe agnoſcis, Tenneuri, *magis ad manum Chifletio fuerunt tum Auctorum volumina, tum antiquitatis ſiue manuſcripta ſiue edita monumenta*; tanto maior veritatis eliciendæ facultas; & malam fidem ac locorum mutilationem accuſanti, apud æquos iudices faciet ſatis omni exceptione teſtimonium maius viri integerrimi ac doctiſſimi, Gothefridi Vendelini, Canonici atque Officialis Eccleſiæ Cathedralis Tornacenſis; quem tu me-

Pag. 8. ritò laudas non ſemel, & *omnium pulcherrimè in Lege*

Salicâ

Salicâ verſatum ſcribis; quem *virum incomparabilem* appellat oculatiſſimus naturæ indagator Vopiſcus Fortunatus Plempius, *& quicquid à mortali ſciri poteſt complectentem, dæmonium hominis; non Taxandriæ ſolùm ſuæ, ſed Europæ, ſed Orbis totius thauma.* Is Præfatióne ad leges Salicas illuſtratas ita me alloquitur: *Nihil te iſtorum ſcio facere quæ audent alij, quibus corrumpere, delere, obliterare, intorquere, vocabula vocabulis permutare: ex* ALIA, ALTA *refingere; ac neſcio an non etiam Membranas ac Diplomata comminiſci; eaq; iuxta caminos ac fuliginoſa loca ſquallore, tamquam antiquitatis laruâ infuſcare, criticus ludus interdum eſt, & ſæculum vocatur. Nihil, inquam, tu iſtorum: quod* PRO TESTIMONIO *dico; interpellatus quippe ab ipsâ præſide Controuerſiæ (quæ in diſceptationem eſt deducta)* FIDE, *quæ me Codices eoſdem, eademq; inſtrumenta contrectare voluit, quibus tu es vſus, quæq; ante te neſcio an quis vnquam vel fando audierit, vel oculis vſurpauerit alius.* Epiſt. de pluuiâ purpureâ.

Vt exultas Tenneuri, vt tibi ipſi plaudis, vt teipſum non capis! vbi ais; *Bono animo eſto quiſquis inſano Hiſpaniæ zelo correptus non es, huc aciem oculorum audacter dirige, non tibi opus aquilinis: non enim hic* VERVS SOL, *parhelium eſt, veritatis noſtræ radijs, breuì, ſemotâ falſitatis nube, diſsipandum.* Pag. 138. Inuito extorques, quod aliàs ab ambitu alieniſſimus ſchedâ preſſiſſem; Epiſtolam nimirum V. Cl^mi^ P. G. San-Marthani, Hiſtoriographi Regij, quam ad me ante annum perſcripſit; quoque iudice æſtimare poſſis, num retuleris ex vero ac Francorum ſenſu; *Concludendum intra Hiſpanicas metas librum meum, vbi mirum vtique plauſum inueniſſet; ſecùs apud emunctæ naris Francos, qui inanibus eiuſmodi figmentis non paſcuntur.* Pag. 200. Hæc autem eſt V. C. San-Marthani Epiſtola:

P MON-

MONSIEVR,

Ex auctographo.

LE renom, que vous vous estes acquis par vos beaux & excellents ouurages, fait que votre renommée passe iusques aux plus petits, lesquels, comme de ieunes aiglons, pointent leur veüe vers le SOLEIL, *l'admirent, & souuent sont touchez du desir d'y porter leur vol, aussi bien que leur veüe. Ie ne me trompe point, Monsieur, de vous comparer au* SOLEIL, *puisque vous en auez les effects, & que par votre* LVMIERE *vous auez dissipé tous les nuages, qui s'estoint formez soub votre climat; duquel s'estant estendüe par toute l'Europe, elle a paru principalement en ce Royaume auec eclat. Que si elle y a rencontré quelques corps opaques, qu'elle n'ayt pas penetré, il ne diminue en rien sa force, son excellence, & sa vertu. Ie me suis donc proposé d'aller puiser iusques à la source, de laquelle decoulent de si beaux ruisseaux, & vous supplier de m'assister en vn petit ouurage, que i'ay entrepris il y a quelque temps, qui traitte des Viceroys & Gouuerneurs des Royaumes & Prouinces particulieres de l'Europe: ie desirerois bien d'estre instruit sur ce subiect des choses contenües au memoire cy ioint, vous suppliant de m'excuser, si ie vous diuertis de vos serieuses occupations par ces petites broüilleries, lesquelles changeront de nom, si elles sont assez heureuses d'auoir votre approbation, & leur autheur de prendre la qualité,*

Monsieur, de

A Paris ce 17. Febu.
1650.

Votre tres humble & affectionné seruiteur,
P. G. de Sante-Marthe de Meré,
Historiographe du Roy.

Messieurs mes Pere & Oncle sont vos seruiteurs, & sont à present en estat de ne sortir guere du cabinet, approchans de la 80. *année de leur aage, mais dans vne santé assez parfaite.*

Sic

Sic ille emunctæ naris Francus, qui tibi lynceo prælu-ceat, meam oneret modeſtiam; cui proinde, vt immo-dico ſtudiorum meorum æſtimatori, planè verendum ſit, ne apud te Chriſtianiſſimum ſcriptorem odioſâ quâdam hæreſeos ſuſpicione laboret: de me ſiquidem inquis: *Hoc vtique Catholicum non redolet, caue, ſi ſapias, ne fortè in hæreſeos ſuſpicionem incurras:* qui & etiam alibi admodum Reuerendos & Clariſſimos Operum meorum Cenſores, Sanderum & Coënſium, Cathedralium Eccleſiarum, Iprenſis atque Antuerpienſis, Canonicos meritiſſimos, le-uitatis arguis, meque iterùm impietatis & blaſphemiæ. En virum religioſiſſimum & noſtri amantem! Nobis, ſi neſciat Tenneurius, S. Romanæ Eccleſiæ filijs, quod ad ſanam fidem attinet, ſummo Dei beneficio, ipſo na-tali ſolo abundè proſpectum, in quo nulli hæreticæ hy-dræ ſeminatis dentibus progeniti: ſuæ ipſi religioni con-ſulat, cuius libertate Francia dudum laborauit, & hodie-que malè vexatur. Sed nihil mirum, ſi vacuas argumen-torum ſedes, & loca arida tranſiturus, aquarum copiam quantam poteſt ſecum adferat, vt fidem non iam nobis, ſed lauacrum inſtillare velle videatur Hiſtoricæ veritatis corruptor, à quo vel maximè abhorreamus: nam quâ ratione nobis amicus eſſe queat, aut veritati velificari, qui ſuis eſt hoſtis; hiſtoriæ fibras ita perſcrutatur, vt la-ceret; ipſiſmet Francis Auctoribus ita paſſim aduerſatur, vt falſitatis audacter inſimulet, traducatque erroris. In probrorum ſentinâ & iniuriarum colluuie tam puti-dam vbique ac puerilem affectat eruditionem Aquitani-cus Senator vectigalis, vt Operi ſuo litteris vncialibus Lemma Hebraicum præfixerit; at amabo, cui bono? Mul-ta quidem de huius linguæ vſibus & neceſſitate protu-lit aliquando Ioannes Chifletius, filius meus; ſed ca-ueat quod ille admodum adoleſcens prudenter monuit:

Pag. 113. Pag. 271. Apolog. paræn. ad Ling. ſanctam.

P 2 *Ne*

Ne ad pompam & inanissimam gloriam hæc studia confectetur
מורינו הרב רבי מחקר הסודות׃

RABI NOSTER SVMMVS, VESTIGATOR SECRETORVM. *Sapit hæc intentio Judaicam vanitatem, & gerentes phylacteria Pharisæos, qui cùm minimè solliciti essent de bonis & laudatis operibus, circa lora, & ornatum libellorum, plurimum studij & curæ adhibebant: quosq; ideò Christus reprehendit, quòd ea peruerso vsu, non ad commonitionem præceptorum Dei, sed ad sui ostentationem habere cœpissent.* Mihi certè quantumuis *nequissimo*, si qua Tenneurio fides, *Hebræo & Turco peiori*, pro Regum tamen Maximi gloriâ decertanti Hebraizare non libet, multò minùs Thrasonem induere: perit siquidem illa veritatis amica modestia, dum quis à viro forti in militem gloriosum conuertitur; si tamen alicuius gloriæ fuerit superare iacentem, & velle triumphum de eo ducere, qui se ante conflictum imparem confitetur: *Regum*, inquit, *nostrorum causam agere, eorumq; iura aduersus impugnantem Chifletium asserere decreui, quamuis tanto oneri impar, nec Chifletio suppar, viro vtique docto & diserto.* Addit nihilominùs: *Sed cui*

Pag. 81. & 271.

Præf. ad Lectorem.

Non tamen, hoc tribuens, dederim quoque cætera;
quippe cui veritatis studium & sinceritas desunt, quas præ cæteris amplecti me profiteor, ideò de reportandâ ex quocumque aduersario victoriâ securus; eam nullatenus impediente aut retardante quorumlibet Mæcenatum quantumuis Excellentissimorum tutelâ. Quæ quidem quid ad eiusmodi controuersiarum euentum conferat, quidve ex PEÑARANDÆ COMITIS *patrocinio Chifletianus liber consequatur, intelligere nondum licuit.* Vnam dumtaxat, Tenneuri, sed quæ mihi abundè suffecerit, Heroïs magni approbationem, de quo, præter ea quæ iam antè retuli in ipso limine huiusce Disquisitionis, quæque liuidis iterùm oculis intuebere, scriptum reliquit non minùs eleganter quàm verè Vir Clarissimus Vo-

pifcus

piſcus Fortunatus Plempius Amſtelredamenſis: *Ingenij iudicijq́ dotes oſtendunt, veræ ac legitimæ politicæ conſummata ſcientia, Iuriſprudentiæ perfecta cognitio, rerum naturalium peritia non vulgaris, hiſtoriarum omnium notitia, linguarum quatuor Catholicarum gnaritas; ſed & declarant eas quot diebus in tractatione rerum momentoſiſſimarum prolata oracula, tum ad firmandam* PRIMARIAM ORBIS MONARCHIAM *prudens libratio expenſioq́.* Et poſt pauca: *Fœderatarum Prouinciarum Legati in eo nihil fucatum, nihil ſubdolum agnouerunt, perſpexerunt inaffectatam veritatem verborum, aſſeuerationem in voce, affirmationem in vultu, in oculis, habitu, geſtu, toto denique corpore* FIDEM. *Longiſſimè ſecùs atque alij linguâ factioſi, qui atroci aſtutiâ, falſidicis fallacijs atque officijs, ſurſum vorſum ora paſſim ſublinere norunt Viris ſummatibus.* Horum gentilem, eiuſdem planè moris ac genij Tenneurium, ventoſum ac vocalem Proſelytum nihil moror; ſibi plaudat ipſe domi, celſus ante Francorum ora incedat, ſuo ſe ſepeliat triumpho, &, vt ille ait, *ſedendo vincat*; ſibi videatur *Achilles*, me *Therſitem* vocet, ac ſua iactet NON PRIVS AVDITA, quæ nimirum non præſtantibus eruditione viris, ſed cum Venuſino vate, VIRGINIBVS PVERISQVE CANTET. Voſque, ô Franci, quando VERITATE non datur, quod vnum vobis licet, FAVETE LINGVIS.

Præfat. ad oculum.

Pag. 211. & 2.

In fine Præf. & pag. 382.

RVMOR *morâ ſeneſcet, creſcet* VERITAS.

Paucis natus eſt, qui populum ætatis ſuæ cogitat: multa annorum millia, multa populorum ſuperuenient; *ad illa*, iubente magno Cordubenſi, *reſpicio: Venient qui ſine offensâ, ſine gratiâ iudicent.*

Seneca Epiſt. 79.

FINIS.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. LI.